
IN ARISTOTELIS LOGICAM INSTITUTIONES, AUTORE F. ARCISIO GREGORIO...

Gregorio Arcis




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
3 G
14

IN Aristotelis Logicam INSTITVTIONES,

AVTORE

F. ARCISIO GREGORIO VIRGINIS *Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum,*

Cum eiusdem expositionibus.





VALENTIAE,

Ex typographia Ioannis Mey.

1562.




BAPTISTAE MARINERII VALENTINI, AVTORIS DISCIPVLI, AD HONORATVM Ioannium, Caroli Hispaniarum Principis praeceptorem dignißimum, Epigramma.

Graecia iactabat quondam sua facta triumphis,
 Magnanimosq; viros inclyta Roma suos.
Pande tuas melius felix Hispania laudes,
 En tibi Honoratus maximus orbis honos.
Cui tot sunt dotes, cui tot cœlestia dona,
 Quot sunt aethereo sydera celsa Polo.
Inter tot laudes, lingua est facundus vtraq;,
 Orator summus, philosophusq; grauis.
Atq; Mathematicas gerit alta mente figuras,
 Historias orto solus ab orbe trahit.
Tum dictis, factisq; potens, tum stirpe suorum
 Inclyta, & antiqua nobilitate micat.
Hinc tibi prae cunctis, Carolus cum Rege Philippo,
 Caesaream sobolem tradidit ille suam.
Poscit vt hãc teneris vel ab vnguibus Induperator,
 Moribus, & Musis, condecorare uelis.
Facta quidem seclis sunt haec memoranda futuris,
 Cùm solus tanto Principe dignus ades.
Quem cùm facundum formes, animoq; potentem,
 Alter Alexander, Caesar, & Hector erit.
Unde sibi meritò generosa Valentia gaudet,
 Tam clarum, & doctum se genuisse virum.

Domino Honorato

IOANNIO SERENISSIMI HISPANIARVM PRINCIPIS, FELI- *cißimo magiſtro, F. Arcisius Gregorius, S. D. P,*



Riſtotelis Logicam, quæ caligine ſepulta erat, nunc Perionij, & Grouchij, nõ minus accurata, quàm eleganti opera, ita enituit, vt ad exactam & luculentam interpretandi rationem, vix aliquid poſsit deſiderari. At verò quod attinet ad rerum, quæ in ea traduntur, genuinam intelligentiam, cùm Ariſtoteles, in reliquis operibus obſcurus, in hoc maximè ſenticoſus, anfractuoſus, & ferè inuius fuerit, diſcipuli, quos anno ſuperiori, illuſtriſsimi Ducis D. Alfonſi ab Aragon impulſu (cui, non omnibus in rebus obtemperare, mihi religio eſt) inſtituendos ſuſceperam, meritò id efflagitarunt: vt quas eis in illam dictaueram inſtitutiones, in lucem ederem. Ego verò

quantum

quantum emolumenti, iuuentuti ad Aristotelis Logicam commodius capessendam aspirāti, sint allaturæ, perspiciēs, eorum honesto conatui non potui refragari. Sed quorsum ad me istas nuces? Vt inquam præclarissimarum literarum, & virtutum, quas in te quotidie suspicimus, admiramur, & colimus, tuæq; præstantissimæ dignitatis splendor, eas lectione dignas faciat. Accedit, quòd omnem nostram operam, cōsilium, & institutum, tibi iam pridem deuouimus: quippe cùm præter id quòd vnus felicem illam omnium doctrinarū encyclopediam sis feliciter consequutus, tanta vales iudicij dexteritate, grauitate, & sagacitate, vt omnes, qui vel rectè dicendi, vel rectè intelligendi studio incumbunt, summo consilio adducti, suas lucubrationes ad te, tanquam ad trutinam deferant examinādas. Sed superat hæc omnia tua singularis, & incredibilis humanitas, qua tui præclari & generosi sanguinis, specimen tantum præbes, vt iure prudētissimi patris, dico, Caroli Quinti olim Imperatoris monitu, Christianissimus Rex noster Philippus, Principem nostrum, Regij & Orthodoxi sanguinis, vnicam spem, tanquam exemplar

plar Christianorū Principum, tibi vni vnicè formandum, commiserit: Atq; vtinam Deus Opti. & sapientissimus hac in re tibi sit propitius, vt tua industria, Spiritussancti digito manu ducta, Regi Philippo, qualem optat filium referas: Hispaniæ verò, Principem instituas, qui nostris temporibus, infidelium, & hæreticorū sit propugnaculum nō solùm, verùm etiam tanquam sol oriens omnibus Christianis magis ac magis elucescat. Tu interim quæso tuæ consulas valetudini, vt magno fortunę applausu, & totius Ecclesiæ immortali beneficio Regiæ dignitati deseruire: mihiq́; fautor, vt soles, Mœcenas, & parens esse valeas. Hoc enim præsidio fretus, quod potero, nauabo operā, vt in Aristotelis Physicen, & Ethicen, explanationes, quas Deus benè fortunet, posteritati cùm vtilissimas, tum iuuentutis institutioni accommodatissimas, typis indies tradam excudendas.

Vale. 16. Calendas Nouembris.

Gabriel Verinus iurisconsultus Balearis ad lectorem.

Chare, tibi Logicæ veniunt compendia, lector,
Non pauca Arcisij dexteritate, noua.
Quæ veluti sparsas explodit lampade nubes,
Et radijs Phœbus discutit orbe suis.
Excludunt altis tenebrosas montibus vmbras,
Et miro reddunt lumine perspicuos.
Hæc tanta vt poßim præfixo dicere versu,
Autori, & fatear, quis sibi quis par erit?
Sunt alij, Salices, est hîc tamen alta cupressus,
Sunt alij, lotha, hîc pinguis oliua fuit.

Ioã. Baptista Viues Arcisij Gregorij auditor ad lectorem Dicolon Distrophon.

Si cupias omnes, Sophia, superare Sophistas,
Herois magni iam tibi quære librum:
Qui quantùm breuiori præditus esse videtur,
Maiori tantùm tollitur eloquio.
Quem si carminibus dignis extollere vellem,
Esset opus grauitas Virgiliana mihi.

BAPTISTA MARINERIUS VALENTINVS, ARCISII GREgorij auditor, ad candidum lectorem.



Intima Aristotelis cupiens cognoscere scripta,
Gregorij Arcisij dogmata clara legat.
Nam praecepta docet Logicis è fontibus hausta,
Quae facilem sternunt ad grauiora viam.
Per quae, clara patent veterum documenta virorum,
Arte tamen mira, dexteritate pari.
Arciseos fructus poteris decerpere pulchros,
Nil quibus in toto pulchrius orbe manet.
Quorum si dulces gustaueris ipse liquores,
Dixeris in terris dulcius esse nihil.
Ergò bonis auibus, propera studiosa iuuentus,
diuinum inuenies Nectar, & Ambrosiam.
His dapibus vinces falsos, variosq́ Sophistas,
Et poteris tutas lector inire vias.
Doctori Arcisio debentur talia dona,
Isq́ Valentinae gloria gentis adest.
Hactenus occlusas artes recludit apertè,
Quas natura negat, tradidit ille vias:
Tradidit ille vias, pandens aenigmata rerum,
Ne careant tantis tempora nostra bonis.

En noua

En noua lux oritur, redeunt nunc aurea secla,
Iam florent artes, Barbariesq; fugit.
Est Plato diuinus, cui par non poßit haberi,
Est etiam princeps mirus Aristoteles.
Tertia Gregorio laus est referenda magistro,
Qui artibus ingenuis lumina clara tulit.

EIVSDEM BAPTI-
stæ Marinerij in inuidos carmen.

Inuidus haud poterit, maledictis scindere verbis,
Quas habet innumeras iste libellus opes.
Nam in summam redigit, diuinũ dogma Platonis,
Dictaq; Aristotelis, commoditate graui.
Murmura ne timeas igitur, nec verba canina:
Nam semper latrat gens inimica bono.

Vale.

Institutiones in Logicam Aristotelis,

autore fratre Arcisio Gregorio.

Logica, est dexteritas rectè ratiocinandi. Logica & Dialectica idem.



Vm nobis consultum sit, antequam enarrationē Logices Aristotelis aggrediamur, prius iuuētutem instruere præceptorum ratione, quæ facilè, & expeditè, institutionis, siue introductionis normam obseruet: operæpretium duximus, ut à quàm facillimis exordientes, ea prælibaremus, quæ tum ad Aristotelis Logicen aditum parēt, tum etiam tyronum ruditati sint magis accommodata. Itaq; in tradendis huiusmodi, ante omnia consulemus facilitati, breuitati, & utilitati: ut institutionis methodus, & ratio postulat. Principiò igitur dicamus, quid sit Philosophia, ut rem ab stirpe petamus, & sub qua parte Philosophiæ subijcitur Logica. Philosophia Ciceroni, est studium uel amor sapientiæ. Ducit nomenclaturam à uerbo φίλος, quod idem sonat atq; amore flagrans, & à verbo σοφός, quod idem est quod sapiens: quò fit, ut philosophia Græcis id sit, quod Latinis, amor sapientiæ. Stoici, autore Plutarcho in libro quem inscripsit de Philosophorum placitis, Philosophiam tripartitò diuidunt, in Physicam, Moralem, & Sermocinalem. Cicero de Oratore differens, eam in tres etiam partes distribuit: puta in naturæ obscuritatem, differendi utilitatem, in uitā atq; mores. Physica siue naturalis Græcè φυσιολογία καὶ φυσική Latinè naturalis, & ut Cicero interpretatur, naturæ ratio. Habet enim hæc, differere de rerū naturis, quæ sensui subiectæ, quæ corporeæ, quæq; motui obnoxiæ sunt. Moralis Græcè ἠθική nūcupatur: nā ἦθος Græcè idem est quod mos Latinè, unde ἠθικὴ dicta est, doctrina de moribus differens. Sermocinalis à nonnullis censetur, ut est, ancilla po-

tius,quàm pars philosophiæ. Cicero in libro,quem scribit,Orator ad Brutum,sermocinalem philosophiam appellat sub his uerbis:Neq; uerò,inquit,sine Philosophorum disciplina,genus & speciem cuiusq; rei cernere, neq; eam definiendo explicare,neq; distribuere in partes,possumus:nec iudicare,quæ uera,quæ falsa sint: nec cernere consequentia, repugnantia uidere, ambigua distinguere. Nos tres præcipimus esse partes philosophiæ:sed quarum duæ, Naturalis & Moralis, tanquam principales possint solùm cõnumerari,seclusa sermocinali:quæ etsi digna sit nomine philosophiæ,illarum tamen æstimatione, potiùs ancilla,quàm philosophia nuncupanda est. Vbi aduerte sermocinalem Latinè idem significare atq; λογικὴν Græcè. Quo fit ut Logica bifariam ueniat in usum. Vel enim latiùs usurpatur,ut,inquam,deriuatur à uerbo λόγος,idem significante quod apud nos dictio sermo. Qua significatione ab Stoicis Logica dicitur facultas sermocinalis: quæ sub se complectitur Grãmaticam,Rhetoricam,& Dialecticam. Vel arctiùs uocatur in usum,ut Logica ducatur à uerbo λόγος, quatenus idem significat,quod ratio,atq; ita Logica idem sonat atq; si dicam,facultas rationalis. Quæ significatio nunc nobis est usui,atq; ita præfixa definitio Logices uenit explicanda sub hac forma:Logica,inquam,est dexteritas rectè ratiocinandi:hoc est,Logica est uis,siue facultas, siue dexteritas reddẽs nos aptos & industrios ad feliciter differendum de qualibet re nobis proposita. Est autem potissima pars philosophiæ sermocinalis,cùm enim dicta sit sermocinalis,ob id quòd tota uersetur in sermone perficiendo:tria uerò sint præstanda circa sermonem. Danda est enim opera,ut sit emendatus,ornatus, & uerisimilis: quorum primum subministrat Grammatica,alterum præstat Rhetorica,tertium est muneris Logici. Fit nimirum, ut præclarior sit Logica reliquis duabus partibus,tantò,quantò præstantior est ueritas emendata & ornata locutione:maximè cùm Grammatica & Rhetorica nihil prorsus habeãt artis & ingenij: quod à media schola Logices non fuerint mutuatæ. Nunc reliquis prætermissis,ut propositum est nobis,solius Logices interpretationi nauemus operam. Quod autem diximus in textu, Logicã & Dialecticam idem sonare, ita percipias, ut in præsentiarum apud tyrones Dialecticam ea significatione usurpari,qua usus est Cicero ad Atticum, cuius uerba sunt: Dialectica ueri & falsi quasi disceptatrix & iudex, quo modo concurrit cum Logica, de qua nunc agimus: non autem ea significatione, qua primo Topicorum primo capite, Dialecticam

ßicam ſecernit ab ea parte Logices, quæ circa demonſtrandi munus negotiatur. A nobis igitur in hoc inſtitutionis initio Logica & Dialectica pro eodem uſurpantur.

Logica comparatur, natura, præceptis, & vſu: vt omnibus numeris abſoluta ſit.

Natura nobis largitur, acrimoniam ingenij, iudicium docile, mentis tranquillitatem, & memoriæ tenacitatem.

Præceptor maturo conſilio præſtans, præcepta tradit, quibus optimè inſtruamur ad munus ratiocinandi tutiùs & præclariùs obeundum.

Vſus reddit nos conſummatos: eſt enim vſus optimus dicendi magiſter.

Logica interdum appellatur, naturalis dexteritas ratiocinãdi, quæ nobis ingenita eſt à natura: cuius ope multi feliciter argumentantur natura duce, ſine præſidio artis: interdum Logica nuncupatur, præceptiua, hoc eſt, præceptorum Logices uolumen ſeu conſtans quàm plurimis præceptis, ad iuuentutem inſtruendam & edocendam, accommodatis: interdum Logica nominatur, quæ iam poſita in uſu, feliciter colligit, & mirificè adhibet præcepta uſui. Multum autem refert, quod ad contentionem ſcholæ has tres Logices differentias obſeruemus. At uerò dexteritas rectè ratiocinandi, quæ iam dudum definita eſt, natura indiget, præceptis & uſu, ut ars perfecta euadere poßit. Cæterùm quæ ſolùm à natura ingenita eſt, præceptis & uſu carẽs, uel quæ ſolùm in præceptionibus ſiſtit gradum, non conuertens præcepta in uſum. Pariter quæ ſolo uſu parta ſit, ſine præceptorum ope: non appellatur à nobis Logica, quæ ſit ars perfecta & conſummata: ſed uulgari & populari loquendi modo dicitur Logica. Omnis enim ars hæc tria eſſe flagitat, naturam ingenij probè temperatam, maturi præceptoris cognitam ac diu elaboratam doctrinam, & longam exercitationem.

Subiecta materies Logices, eſt qualibet res.

Subiecta materia cuiusuis doctrinæ nominatur ea, de qua huiusmodi doctrina potißimùm agit. Cùm igitur quauis de re dicere poßit Logicus, uel docendo dũtaxat, uel simul docendo & ratiocinando, reliquum est, ut rem uniuersam Logicæ subiectam asseramus. Sed suboritur dubium, nam ratiocinatio cõstituitur à multis Arist. interpretibus, res subiecta Logices, quandoquidem ab initio Categoriarum, usq; ad Elenchorum calcem Aristo. perpetuò uersatur circa ratiocinationẽ, uel eius partes. Ergo nõ est quæuis res arti Logicæ subiecta materies. Respondeo, Logices quidem præceptiuæ subiectam materiã esse syllogismum: sed Logices, quam statuimus perfectam artem, subiecta materies est res uniuersa.

Dubium.

Dilutio.

Finis Logices est, discernere verum à falso.

Finis Logices, gratia cuius omnem operam adhibet Logicus, haud dubiè ueritas est. Quod autem non sit facere fidem, ut nonnullis arridet, argumento est, quod Logici munus duplex sit, nempe docere, & ueritatem corroborare. Sed in horum altero, puta in ratiocinandi munere, facere fidẽ, est finis ei præstitutus. Vtriusq; muneris, finis est discernenda ueritas, cum siue solùm doceat, siue simul doceat & ueritatem corroboret, semper omnia refferat ad inuestigandam ueritatem. Ergo ratũ est finem & scopum Logico præfixum perpetuò esse ueritatem, non autem perpetuò facere fidem. Sed incurres finis Aristotelis in tradẽda Logica & omnium eius interpretum, est docere rudem iuuentutem ea quæ pertinent ad argumentationẽ: siquidem in decem Categorijs proponit nobis nomina simplicia omnium rerum, & in codice Periherminias differit generatim de enunciationibus: nimirum quia ex his, & illis conficiendi sunt syllogismi: in reliquis codicibus perpetuum eius institutum est enarrare nobis ea, quæ conferunt ad moliẽdos syllogismos, & generatim, ut in codice Prioris resolutionis, & speciatim ut in tribus subsequentibus codicibus, quibus perficitur integrum opus Logices. Ergo in Logica semper uenamur tanquam finem, quem summopere optamus, ipsam argumentationẽ. Multum igitur abest, ut noster finis præstituatur discernere uerum à falso. Finis, inquàm Logices præceptiuæ sanè constitutus est ab Aristotele, tradere artem ratiocinãdi, ut iuuẽtuti finis perspectus est illam ipsam addicere. Sed nos discernere uerum à falso finem constituimus Logices artis, quam constare diximus naturæ beneficio, præceptoris ope, & lõga & uaria, & diu in scholis

Dubium.

Dilutio.

in scholis Philosophorum exercitata disserendi ratione, quamq; consumatam artem & omnibus numeris absolutam appellauimus.

Munus Logici duplex est, alterum cernitur in docendo, alterum in firmanda veritate, veritatem perpetuò docet: non tamen perpetuò confirmat.

Firmare veritatem siue corroborare, ratiocinari, colligere, argumentari, idem.

Cùm finis Logici constitutus sit ipsa veritas, perspicuum est Logicum munus geminum esse: interdum enim veritatem aperit, docet & exponit erga discipulum, quem instituendum suscepit sponte sequentẽ, & praeceptoris autoritate fretum, se gerens tanquam pater erga filium: interdum autem ueritatem corroborat aduersarium impetens, ut eum inuitum & repugnantem trahat ad obsequendum veritati. Alterum autem horum, ut pote munus docendi, perpetuò exercet: nam etsi circa ueritatem firmandam uersetur, eam firmare quin simul eam doceat ac declaret, minimè potest.

Instrumenta, quibus vtitur docens, sunt, Definitio, Diuisio, & Regula.

Instrumentum, quo vtitur in fulcienda, & à cauillorum iniurijs vindicanda veritate, est Argumentatio.

Finitio, Diuisio, & Regula, sunt instrumẽta ruditati iuuẽtutis instituendae accommodata. Cùm enim omnis institutio tria illa maximè obseruare debeat: ut, inquam, sit facilis, perbreuis, & perutilis: et ad haec praestanda nulla sint instrumenta, quibus faciliùs, expeditiùs, apertiùs, & enucleatiùs ueritatẽ reserare & explicare ualeamus, quàm haec. Ita fit ut in docendo Logicus consultissimè his utatur. Exemplum subijciamus Aristotelis, qui de methodico dicendi munere unus omniũ Philosophorum est benè meritus: nam in Antecategoriarum introductione, qua iuuentutem instituit, ad Categorias Aristotelis, ut consuleret facilitati, breuitati, & utilitati, tria haec delegit organa, Definitionem, Diuisionem, & Regulam. Sed aduerte Logicum docendi mu-

nere obeundo sæpe uti argumentatione, simul docendo ac firmãdo ueritatem. Itaq; in aduersarium utitur argumentatione tanquam intenta hasta, ad eum conuincendum & inflectendum, ut optemperet ueritati: at uerò discipulo instituendo argumentationem tradit, tanquã hastam, qua ualeat aduersus ueritatis hostes, pro pulsandis erroribus, pugnare, pro defendenda ueritate. Quocirca perspicuum est ex his tria esse instrumenta, quibus utatur Logicus docens, non simul firmans ueritatem. Vbi uerò simul docet & firmat, quatuor esse, ubi agit in aduersarium unicum instrumentum ad oppugnandum esse argumentationem: etsi ad argumentandi munus nonnunquam Definitionis, diuisionis, uel Regulæ utatur subsidio: ut euenit cùm argumentatur loco à definitione, cumq; conficit syllogismum diuisiuum, necnon ubi colligit loco à regula.

Ordo est compositio rerum, aptis & accommodatis locis.

Duplex est ordo in omnibus doctrinis obseruatus, naturæ Vnus dicitur, alter doctrinæ nominatur.

Naturæ ordo est, quo auspicamur à notioribus hoc est, à prioribus natura.

Ordo doctrinæ, quo exordimur à notioribus nobis.

Ordo doctrinæ perpetuò est obseruandus in omni doctrina.

Ordo naturæ interdum cõseruatur, interdum secus.

Cùm omnis ars, tum etiam & maximè Logica, quæ parens est omnium artium, debet imitari

naturam

naturam pro sua virili, pro facultate ingenij humani, citra iniuriam instituendæ iuuentutis.

Ordinis definitio hæc à Cicerone in Officijs traditur, à Græcis εὐταξία, hoc est, ordinis conseruatio maximè præcipitur: cuius studiosissimus ante omnia docendi princeps Aristoteles geminam facit differentiam: ut pote naturæ ordinem unum, alterū doctrinæ constituens. Naturæ ordo triplex est: natura enim in uniuersis, quæ solet efficere moliendis, uel proficiscitur à causis ad effecta, uel à simplicibus pergit ad composita, uel ab uniuersis descendit ad singula. Quo fit ut in enarrandis doctrinis quoduis horum trium imitemur, conseruare dicamur ordinē naturæ. Quia uerò perfectio artis tota uersatur in illius imitatione, ars enim pro sua uirili naturam habet ante omnia imitari, cùm Logica sit parens omninm artium maximè incumbit ei ex officio ducis naturæ uestigia sequendo, hunc ipsum ordinem naturæ conseruare: nisi fortè imbecillitas ingeniorum iuuentutis instituendæ nō ualens initio capescere, quæ natura priora facit, secus efflagitet. Nam Logicus præcipuè instituit quod ad ordinem attinet pro uirili sua naturam imitari, ut Aristoteles fecit in Logica præceptione, differēs prius de simplicibus nominibus omnium rerum in proximo codice de Pronunciatis, quæ quidem ex nominibus coalescunt. Deinceps dicturus de syllogismis. Ad hæc priùs pertractauit syllogismos in uniuersum, dein de dixit de illis speciatim: quorum utrunq; planè cernimus factum, ut conseruaretur εὐταξία seu οἰκονομία, id est, præcipuus ille ordo naturæ, id quod faciunt in uniuersis partibus philosophiæ tradendis eruditissimi quiq; præceptores, siue uiua uoce, siue scriptis ueritatem alijs aperiendi & reserandi munus obeundum susceperint. Cuiusmodi sunt in pretio apud Theologos in scholis D. Thomas, & medicis præclarissimus ille in docendi munere methodico Galenus, tanquam omnium ad instituendam iuuentutem & longè ante cæteros de hac docendi œconomia optimè meriti, ut facilè percipitur, uel minimū in horum autorum libris obseruatis uersato. Ex his igitur perspicuum euadit nos in uniuersis doctrinis explicandis pro uirili naturæ ordinem imitari debere. At ubi repugnat huic instituto iuuentutis utilitas, cuius studio doctrina quæ traditur ab eruditissimo quoq; præceptore perpetuò ducitur: nimirum quia rudis & exiguus iuuentutis captus, ea quæ suapte natura priora sunt, excipere non ualet, tunc euenit ut intermittentes

ordinem

ordinem naturæ, demus operam ordini doctrinæ ad iuuentutis institutionem & rudem captum magis accommodato: quandoquidem ordo doctrinæ nuncupatur ab Aristotele, quo quidem auspicamur à notioribus nobis, nobis inquam, non doctis nec prouectis, qui non adeò indigemus præceptoris ope: sed rudibus, quorum gratia potiùs doctrina traditur. Quo circa, ut commodius studeamus iuuentuti à facillimis ordimur, & ab his quæ sint iuuenum captui familiaria & ad manum posita. In hoc enim incumbit uniuersum explicationis & interpretationis studium, ut, inquam, exordiamur à notioribus nobis. Atqui ordo doctrinæ in declaranda doctrina perpetuò est obseruandus: Ordo naturæ, quod fieri poßit. Ita fiet, ut interdum obseruetur uterq;, nimirũ cùm eadem quæ natura notiora & priora sunt eueniet, ut sint rudißimo cuiq; pariter notiora. Tunc enim erit ordo naturæ ac doctrinæ idem: Si uerò ea quæ natura notiora sunt, ab his quæ sunt nobis notiora dissentiant, tum aduersus est ordo doctrinæ ordini naturæ.

Vtilitas Logices triplex est, conferens enim est ad gymnasticas disputationes, ad humanos congressus, & ad vniuersas philosophiæ partes capescendas.

Quod ad hæc tria magnum adfert emolumẽtum Logica primo libro Topicorum nos docet Aristot. & res ipsa nobis ob oculos ponit. Nam in gymnasticis disputationibus omnia quæ uocantur in contentionem discuti ac dissolui nequeunt, nisi ope præsidioq; huius præclarißimæ facultatis. Hæc enim sola est, quæ nos reddat industrios ad ueritatem defendendam & ab omni cauillorũ iniuria & occasione uindicandam. Hæc sola nos instruit & armat ad hostes ueritatis insectãdos, ad præsidio nudandos, errores eorum pessundando, & eos uel inuictos ut ualeamus trahere ad obsequendum ueritati. Deniq; sola hæc in cõtẽtionibus uictoriã, & in philosophicis disceptationibus ueritatẽ subministrat. Quod autem attinet ad congressus humanos tantum adfert præsidium, ut ne uerbum quidem in circulo prudẽter poßis efferre, quod huius artis præceptis non contineatur, siue aliquid uelis persuadere, uel dissuadere, siue proponas aliquem laudare uel uituperare, siue laudibus aliquid extollere, uel deprimere: siue describere, siue enarrare, siue ad pietatem, uel iram, uel timorem, uel aliquem alium affe-

ctum concitare cupias, statuas, nihil horum est, quod non sit subiectum arti Logices, quodq; huius ingenio & artificio non strenuè & mirificè præstes. Quid dicam de aditu, quem parat ad uniuersas partes philosophiæ? Quippe cùm ad illas hæc sit ipsemet aditus, est enim methodus, id est, semita quàm tutißimè, quàm amœnißimè, quàm breuißimè nos perducens ad rimandum naturæ subtilitatem & mores hominum, necnon ad Theologiam ipsam, ad medicinam, & ad iurisprudentiam feliciter comparandas: quia perpetua est ueritatis pedissequa, quàm amœnißimè quidē, quia nihil est menti dulciùs, nec oblectabiliùs, quàm in magna errorum turba, duce rationis arte, uenari & consequi ueritatem, eamq; ita ratam facere, itaq; communire, ut in posterum ab aduersarijs obsideri non queat, nec inuadi, tantum abest ut expugnari. Quàm breuißimè dixi, quandoquidem adeò abhorret uerborū ac temporis dispendium, ut rectißima uia nos perducat ad finem in quauis parte philosophiæ, tanquam summum eius bonum exoptatum. Ex ijs igitur perspicimus triplicem eius utilitatem.

Definitio est oratio, quæ id quod finitur explicat quid sit.

Definitionis descriptio, seu definitio, seu interpretatio proponitur primo libro Topicorum cap. 4. Cicero de officijs ita finit: Definitio, inquit, est oratio, quæ quid sit id de quo agitur ostendit quàm breuißimè. Idem in Topicis: Definitio est, quæ id quod quasi inuolutum est euoluit. Nos ad contentionem scholæ ita solemus explicare: Definitio, inquam, est oratio quàm breuißimè, & reciprocè quid aliquid sit explicans. Includit autem hæc definitio tria illa, quæ dicimus, necessaria, ut proba sit, definitio: tria enim ad hoc exigimus. Principiò quòd sit reciproca, secundo loco quòd sit notior, postremùm quòd nihil in ea redundet. Reciprocam intelligimus esse debere definito finitionem, id est, à definitione ad finitum: & uicißim ab hoc ad illam consecutio debet esse necessaria. Itaq; hominis definitio est, animal rationis compos. Quo fit ut rectè colligam, est homo: ergo est animal rationis compos. Et ex aduersum pariter, est, inquam, animal rationis cōpos: ergo est homo. Sunt igitur reciproca homo, & animal rationis compos. Notior debet esse definitio, cùm eius officium sit explicare, aperire, ac enucleare ipsum definitum. Nihil redundans fert. Logicus

enim artifex est in dicendo quàm expeditissimus. Est enim Rhetorica tanquam manus aperta, Dialectica uerò tanquam pugnus. Vt autem hostis hostem inuadere non solet ornatus, sed armatus & expeditus: ita decet Logici sermonem esse. Vtpote argumentis munitum, & uerbis expeditũ, minimè sumptuosum & ornatũ. Aristo. uerba sunt in Rhetorica ad Theodectem: Philosophia, inquit, induẽda est tanquã honesta matrona, amictu quidem lugubri, non lasciuo. Cicero de Finibus: Philosophicas, inquit, res ornatè dicere uelle puerile est. Idem in libro de Oratore inquit: Oratoris est compositè, ornatè, & copiosè loqui. Idem de Finibus: A Philosopho, inquit, si auferam eloquentiam, nõ asperner: si non habeat, non admodum flagitem. Idem in libro, qui inscribitur Orator ad Brutum: Zeno, inquit, Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat, quod latiùs loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreßiùs. Idem in Partitionibus: Et eadem, inquit, uel angustè disserere, ut Dialectici, qui appellantur: uel ut Oratorem decet latè exprimere. Idem in libro, cui titulus Orator: Disputandi, inquit, ratio & loquendi Dialecticorum sit: Oratorum autem dicendi, & ornandi. Ex his efficitur non solùm in definitione, uerùm etiã in quouis alio instrumento, uel opere Logices: & perinde Philosophiæ uerbum redundans abhorrendum. Appellamus autem redundans uerbum, quo sublato, reliquum probè suo munere defungitur. Definitio autẽ triplex est, una quæ constat genere ac differentia essentiali, ut animal rationis cõpos, quæ sola sibi uendicat nomen Definitionis. Nam ab Aristo. Græcè sola hæc dicitur ὅρος, Latinè finis seu terminus. Altera est, quæ ab Aristotele nominatur ἴδιον Græce, Latinè propriũ: quæ quidẽ cõponitur ex genere & proprio. Tertia propter penuriam uocabuli nominatur nomine communi Descriptio, Græcè ὑπογραφὴ: hæc uerò accidentibus circunscribit rem, non docens quid sit, sed quæ res sit quæ describitur: Subijciamus exempla, ut hominis Definitio est animal rationis cõpos. Proprium, animal ridens: eiusdem est descriptio, animal prouidum, sagax, acutum, & erecta ceruice incedens.

Diuisio, est adæquata communioris in minus communia distributio.

Diuisum, est totum quod diuiditur.

Partes diuisionis & propria, sunt in quæ cōmunius distribuitur.

Communius, est quod in plura se fundit: id est, quod sub ambitu suæ significationis plura complectitur.

Diuisio, est totius in partes, dico cōmunioris in minus cōmunia distributio. Additur adæquata, quia ut sit nomine diuisionis digna, debet adæquari: hoc est, reciprocū esse, diuiso disiunctum constās ex partibus Diuisionis. Vt animal uel est rationis particeps, uel expers: animalis est in rationis particeps & rationis expers distributio. In qua quidem animal est totum, siue uniuersum, siue cōmunius quod in proprias distribuitur. Partes, in quas diducitur, sunt rationis compos, & expers: quas alio nimine propria dicimus. Vulgus barbarorum appellat membra diuidentia. Animal dicimus communius rationis compote, quia latiùs patet: nam rationis compos solos homines, animal & homines & bruta significat. Est autem adæquata huiusmodi diuisio, quādo diuisum & disiunctum constans ex partibus diuisionis, inuicem reciproca sunt, & retro commeant. Est animal. Ergo rationis compos, uel rationis expers. Et ex aduersum, est rationis compos uel expers: Ergo est animal. Diuisio & partitio à Cicerone interdum pro eodē usurpantur, interdum Partitio distinguitur à Diuisione, quòd partitio sit, ut urbis, uel prouinciæ, uel domus, dico (ut cū schola loquar) totius integri in partes integrales dissectio siue distinctio. Diuisio igitur est totius uniuersalis in propria, id est, in partes minus cōmunes distributio. Cicero de Oratore: Hæc, inquit sit prima partitio, quòd facetè dicatur, & alias in re habere, alias in uerbo facetias. Qua significatione liquet Ciceronē usurpasse pro Diuisione Partitionē. Quòd autē partitio secernatur à diuisione apud Rhetores, frequēs est in usu. Fitq; Diuisio multis modis, generis, inquam, in formas, ut uiuentium alterum est animal, alterum est planta: generis in differentias: ut animal, uel est rationis particeps, uel expers. Generis in propria, ut animal uel est ridēs, uel hinniens, uel mugiēns, uel sibilans, & sic in singulis. Subiecti in accidentia, ut homo uel est musicus, uel immusicus: accidentis in subiecta, ut candidum uel est nix, uel homo: uel aliud quicquam: accidentis in ac-

uidentia, ut musicus uel est probus, uel improbus. In diuisione diuisum est totum siue cõmunius, siue uniuersum, siue uniuersale, quod, inquam, in partes minus communes diducitur. Circa quod aduerte totum ad Aristotelis & Porphyrij interpretationem quadrifariam uenire in usum. Prima significatione ut in præsentiarum appellamus totum quod est communius, cuiq; subiectæ sunt partes, de quibus uerè apteq; dicitur: quas partes minus communes, uel minus uniuersales appellat schola. Deinde totum est à Porphyrio propositum, quod appellat schola constitutum, ut eius partes pertrito termino artis appellat partes constituentes: ut homo totum est, si conferas cum animali & cum rationis compote, quæ partes eius sunt constituentes. Genus enim & differentia instar materiei & formæ constituũt speciem. Est etiam totum integrũ quod uulgus appellat integratũ, cui correspondent partes uulgò dictæ integrantes. Sunt autem partes integrales, quæ participant materia & forma: qua significatione domus æstimatione, cœnaculi, cubiculi, cellæ, liminis, & areæ, dicitur totum. Deniq; totum significat id quod ex materia & forma constat, quod in schola nominatur totum essentiale: & ex aduersum eius partes dicuntur partes essentiales. Sed harũ quatuor significationum in homine deprehendes uim. Itaque si conferas hominem cum corpore & anima, totum est essentiale, si cum animali & rationis compote totum dicitur definitum siue constitutum. Si uerò referas ad caput, ceruicem, pectus, uentrem inferiorem, & artus, totũ est integrũ. Iam si fiat hominis ad musicum collatio, totum erit uniuersale seu communius seu uniuersum. Nec parum interest, quòd has totius differentias in limine Logices, distinctis nominibus in schola tritis, aperiamus, quandoquidem magnum adferent momentum, ad cõmodiorem Porphyrij & Aristotelis intelligentiam. Discriminatur autem, ut iam submonui, totum uniuersum à reliquis, quòd hoc de suis partibus uerè dicatur & aptè: in illis uerò secus contingat: nam totum integrum ac totum essentiale uerè de singulis partibus, ac totum constitutum de suis partibus aptè recteq; dici nequeunt. Antecedit autem ordine naturæ Diuisio Definitionem, siquidem ad uenandam Definitionem Diuisione utimur adminicula: sed ordine doctrinæ, quia paucioribus & facilioribus indiget ut exponatur. Consultiùs uisum est nobis Diuisionem postponere. Ad probam Diuisionem duo postulat schola, primũ quidẽ quòd partes diuidentes totũ diuisum exhauriant: id est dictu, quod disiunctum

ſiunctum conſtans ex partibus diuidentibus, ut prædiximus,ut recipro cum ſit & commeet cum diuiſo:ubi non ſolùm id obſeruandū eſt,quod faciamus diſiunctum ex partibus Diuiſionis,ut aſsignemus reciprocum & uiciſsim commeans, cùm alioqui res expoſita ſit cauillo, uerùm etiam ita faciendum eſt diſiunctum ut cum unaquaq; partium diuiſum connumeremus, uel ſaltem ſubintelligamus,alioqui reijcienda eſſet hæc Diuiſio: Animal uel eſt uolucre,uel aquatile,uel terrenum:aliquid enim eſt aquatile,uel uolucre,uel terrenum,quod non eſt animal. Quo circa ſi diſiunctum ſic efferas:Animal,inquam, uolucre, uel animal aquatile, uel animal terrenum,tunc Diuiſio eſt à cauillo uindicata.Poſtulat etiā ſchola ut partes diuidētes inter ſe ita repugnēt,ut eadē res indiuidua, ſaltem eadem ratione ſub duarum utraq; minimè contineatur. Tantū abeſt ut una earū ſit alteri ſubiecta. Quēadmodū eueniret in iſta: Viuentium aliud eſt animal,aliud eſt planta,aliud eſt arbor: eadem enim eſt res,quæ plantæ ſubit arboriſq; naturam. In hac uerò philoſophus ſermocinalis eſt uel Grāmaticus,uel Rhetor, uel Dialecticus,nihil erit incommodi quòd idem homo diuerſa ratione ſit Grammaticus & Rhetor.Idemq; iudicium eſt in reliquis.

Regula, eſt norma recta nos dirigens ad veritatem.

Regulæ ſunt partim ab Ariſt. perſcriptæ, ut regulæ quas in tertia Antecategoria tradit:de quibus illic, Deo fauente,dicemus.Partim in ſcholis Philoſophorum longo uſu probatæ,quæ omnibus non ſolùm in confeſſo ſunt,uerùm etiā eas ante oculos perpetuò gerere debemus, tāquam lumina,quæ nobis ueritatem uenantibus procul propulſant occaſiōnes errorum: uendicatq; ſibi unaquæq; facultas peculiares regulas, ut iuris prudentia regulas iuris,& pariter aliarum unaquaq; facultatum ſibi peculiares obſeruat ſummo ſtudio regulas. At uerò Dialecticæ regulæ huiuſmodi ſunt,ut & ad præſentem enarrationem plurinum conferant,& ad uniuerſas diſciplinas capeſcendas,interpretandas, ac exercendas maximam opem afferant: cuiuſmodi ſunt quæ ſequuntur. Has enim propoſuimus hoc loco iuuentuti tradere tanquam exiguo & rudiorum captui utiliores & magis optemperatas.

In vniuerſis diſciplinis omnia ſunt refferenda 1. Regula.

 ad rem

ad rem subiectam, ad finem & institutũ autoris.

In omni doctrina tradenda materies de qua disserimus, & circa quã uersamur nos monet sæpius quo pacto debeamus loca, quæ ad speciem repugnant conciliare, & ea quæ cauillo uidentur obnoxia uindicare: idemq; faciunt finis & autoris institutum. Exempli gratia docuit Aristoteles accuratè in Metaphysicis: An uniuersalia sint in singularibus posita, an ab eis sint semota? Quæstionem hanc abhorret Porphyrius tanquam difficilem. Inficiaberis igitur uel Aristotelem falsum esse, uel Porphyriũ. Disoluam, dicens Aristotelem in Metaphysica instituisse dicere de difficillimis quibusq;, circa quæ præcipuè uersatur sapiens: sed Porphyrianam doctrinam esse referendam ad finem Porphyrij & institutum. Decreuit enim illic pingui Minerua dicere de quinq; uocibus, ut ad Aristotelem, rudem iuuentutem introduceret. At illi nihil minus conueniebat, quàm huius & similium quæstionum obscuritas. Quo fit ut regula hæc lumen præbeat ad discutiendam hanc controuersiam. Atq; uix est liber in ulla disciplinarum, ad quem explicandum non indigeamus huius adminiculo.

2. Regula. *Eadem est contrariorum disciplina.*

Ad eandem spectat doctrinam dicere de uirtute ac de uitio, utpote ad Ethicam eiusdem est muneris, nempe Logici discernere uerum & falsum, cuius est consulere sanitati, est etiam propulsare morbos. Ad eundem pertinet docere summum bonum, hoc est, beatitudinem cœli, ac summum malum inferni. Nec fieri potest, ut quorumuis horum aduersorum unum norit aliquis exactè, quin & alterum acuratè perspexerit. Eadem est igitur contrariorum disciplina.

3. Regula. *Ambiguitas vocabulorum abhorrenda est Logico.*

Ambiguum prius est distinguendum, quàm definiendum.

Homonymum Græcè, ambiguum Latinè, uocabulum est geminam uel multiplicem habens significationem: quemadmodum nomen canis in littore maris piscatoribus uerba facientibus de piscium differentijs, piscem quendam significat, qui supernè & infernè triplicem habet

dentium caninorum ordinem, & puerorum calcaneos insectando in morem canis mordere solet. Significat etiam sydus cœleste, puta maiorem canem & minorem in libris & scholijs Astronomiæ. At uerò uenatores nomine canis, domesticum intelligunt. Quòd autem abhorrere debeamus in omnibus doctrinis ambiguitatem, ratio est in promptu: nam cùm laboremus magna penuria uocabulorum in enarrandis disciplinis, & in mentis perceptionibus aperiendis, nihil est quod magis nos à uero aberrare faciat, quodq; densiores tenebras offundat, quàm neglecta uerborum ambiguitas. Est igitur magni momēti regula hæc, quæ nobis præcipit, ut ambiguum prius distinguamus ac discernamus, quàm aliquid certum & ratum constituere ac definire audeamus: alioqui uel ueritas detrimentū pateretur, uel doctrina passim exponeretur cauillo & obscuritati.

Singularia secluduntur à disciplinarum consideratione. 4. Regula.

Doctrina omnis est eorum, quæ semper, uel magna parte, uera sunt. Huiusmodi sunt uniuersalia. At uerò indiuidua propemodum infinita sunt, & adeò sui absimilia, ut in certam rationem sigillatim redigi nequeant, nisi reuocentur ad uniuersum, in quo fixa & rata eorum intelligentia, quæ perpetuò sit sui similis deprehendatur. Doctrina igitur uniuersalium est quæuis, non singularium. Sed incurres, medicus non medetur homini, sed huic homini: ut autor est Aristoteles in sexto capite primi libri Ethicorum. Respondeo, sanè medicus practicus, qui iam adhibet præcepta usui, non uersatur circa hominem, sed circa hunc hominem. At uerò medicina theorica non disserit de huius uel illius ualetudine sigillatim, sed speciatim, & generatim de hominis morbo, uel ualetudine. Obiectio.

Ad quæstionem factam adminicula dictione quid, vel dictione quare, respondere debemus definitionem.

De finito solemus interrogare, quid sit: ut quid est homo, percontamur, rectè respondetur nobis, animal. Subiungitur, quale animal redditi solet, rationis compos. Itaq; interroganti, quid est homo, ut primæ satisfa-

ſatisfaciamus quæſtioni, & alteram anteuertamus: roganti quid eſt homo, ſimul ſubminiſtramus, animal rationis cõpos. Itaq; iam increbuit uſus, ut niſi peculiaris habeatur conſideratio: Generis & Speciei ad interrogatiuum quid, in quauis doctrina ſuggeramus definitionem pariter ad interrogatiuum quare rationem poſtulans, quare aliqua res alteri conueniat, in uniuerſis etiam diſciplinis ſubminiſtramus definitionem: ea enim eſt ab Ariſtote. dicta logos. id eſt, ratio propter quam definitum alicui congruat: ut ſi roges, quare oratio hæc: Petrus eſt de uirtute benè meritus, enuntiatio ſit? Reſpondeo, quia eſt oratio perfecta, uerum, uel falſum ſignificans.

5. Regula. *Opponentis munus eſt, quàm breuiſſimè, & quàm acutiſſimè poſſit obijcere argumentationem ac tanquam intentam haſtam aduerſus propugnatorem torquere.*

6. Regula. *Propugnatoris partes erũt, argumẽtationẽ bis recenſere fideliter: prima quidẽ vice quid ſentiat muſsitãdo, deinde verò altera vice repetens habet concedere, negare, vel diſtinguere ſingulas partes argumentationis, atq; ratiocinationem ipſam:*

Rhetor in aduerſariũ diſerta, ſtrenua, & ſumptuoſa uti ſolet oratione, ſecus conſultum eſt Logico: incumbit enim ei ex officio ut munitiſſimè, argutiſſimè & expeditiſſimè quod fieri poſſit inuadat aduerſarium, idq; fidenter. At uerò defenſoris eſt bis oppugnatoris collectionem repetere, tum ut ſemel conueniat inter eos, quæ res uocetur in contentionem, tum ut ualeat altera uice conſultiùs reſpondere, atq; in omnibus Theologorum ac medicorum, necnon Philoſophorum ſcholijs, in quibus exacta methodus colitur ſtudioſè conſeruatur. Qui autẽ oppugnatoris officium gerentes uerborum copiã oſtentare uolunt, nõ minus ridendi ſunt, quàm ſi Oratoris munus obituri profiterentur ſe, neq; diſtinctè, neq; diſtributè, neq; eleganter, neq; ornatè dicere. Quid enim eſt ineptius, quàm Oratorem ſterilem, ieiunum, uerborũ inopem, & rudem audire? Quid uerò minus ferendum Dialectico ac Philoſo-

pho-

pho, qui prætermisso rerum studio, quas ex professo uenari debet, operam dare uerborum sumptui, præsertim in ratiocinando, ubi nulla re minus opus est, quàm uerborum ornatu. Cùm enim descendat in arenã ad luctam & contentionem literariam, res ipsa planè monet, quòd in aduersarium nõ tam incedere debeat amictu eleganti, quàm armis munitus & expeditus incurrere, ut citra iniuriam & periculum ueritatis, quod proposuit, ualeat expugnare, aut propugnatorem in magnũ ueritatis discrimen, & mentis angustias impellere. Cæterùm defensoris est munus, sedato animo ac tranquillo placidoq;, fideliter his obiectam argumentationem excipere: tanto studio modestiaq;, ut magis uideatur ueritatis flagrare desiderio, quàm se subducẽdi, uel tergiuersandi, uel subterfugiendi, summopere obseruans singula uerba, quæ proposita sunt ab oppugnatore: singulisq; pronunciatis respondens, concedẽdo, probando, siue tribuendo, si uera sint: abnegando, si falsa: & distinguendo, si ambigua. Pariterq; consecutionem abnegabit, si uideatur inconstans: si constans, concedet: & si sit ambigua, distinguat atq; discernat.

Consecutio, quæ semel est inconstans, perpetuò censetur inconstans. 7. Regula.

Proba & constans dicitur argumentatio, in qua nunquam euenire potest, ut simul aßignetur antecedens uerum, & consequens falsum: ergo si semel aßignaretur, semper æstimanda est inconstans. 8. Regula.

Si probè ratiocinacionis antecedens verũ sit, & consequẽs simul verũ esse debet: nõ exaduersum, si consequens verũ sit, oportet antecedens esse verum.

Regula hæc dependet ex definitione probæ argumentationis, ut subsequentes: nam si proba sit argumẽtatio, necesse est, ut ex antecedente uero, consequatur consequens uerum: alioqui in proba consecutione ostenderetur antecedens uerum, & consequens falsum.

Constantis collectionis, si consequens sit falsum, & antecedens rectè colligemus esse falsum. 9. Regula.

Huius regulæ propemodum eadem est, quæ præcedentis expositio.

10. Regu. *Si antecedens est necessarium, illico consequitur consequens necessarium.*

In bona consecutione fieri nequit quod ex antecedēte necessario non consequatur consequēs necessarium: nam da hypothesim cum antecedēte necessario, consequens concurrit nō necessarium: ergo quod aliquādo poßit esse falsum. atqui tunc antecedens esset uerum, quippe cùm sit necessarium: ergo in bona consecutione, tu quidem dares antecedēs uerum & consequens falsum, quod planè fieri nequit.

11. Regula *Ex antecedente quod fieri potest necessariò, colligitur consequens quod fieri poßit.*

Intelligamus regulam & sequentes in proba consecutione, quod causa breuitatis omittitur: iam cùm antecedens fieri poßit, conueniat inter nos, ut iam sit uerum: consequens igitur consequetur uerum per octauā regulam, fieri poterit igitur quod consequente significatur.

12. Regula *Si sit consequens impoßibile, pariter & antecedens erit impoßibile.*

Ostendis consequens impoßibile, igitur quod semper sit falsum ac nunquam poßit esse uerum. Atqui per nonam regulam ex consequente falso, necessario colligitur antecedens esse falsum. Ergo antecedens ita erit semper falsum, ut nunquam ualeat esse uerum: alioqui in constante argumentatione aliquando esset antecedēs uerū, & consequens falsum.

13. Regula *In omni consecutione colligitur ex contradicente conclusionis falsitas antecedentis.*

Per nonam regulam efficitur, ut ex falso consequente necessariò cōcludamus falsum esse antecedens: sed contradicens conclusionis non potest esse uera, quin consequens sit falsum: ergo ex conclusionis contradicente uera, rectè colligitur antecedens esse falsum. Quibus efficitur ut ex contradicēte consequentis, rectè colligatur cōtradicens antecedētis.

14. Regu. *Quicquid est antecedens antecedentis, idem est & antecedens consequentis: & ex aduersum,*

quicquid

quicquid est consequens consequentis, est consequẽs & antecedentis.

Exempli gratia, ex eo quod omne uiuens calore genuino sit prædi- tum, colligitur consequens, omne animal habere calorem genuinum: & ex hoc statim consequitur, omnem hominem calore affectum genuino. Ergo ex primo antecedente hoc nouißimum colligitur consequens.

Antecedens & consequens verum nominatur vel falsum, non bonum nec malum. Definitio proba dicitur, vel secus non vera, nec falsa: similiter consecutio bona, vel mala: constans, vel inconstans appellatur nec vera nec falsa. 15.Regula

Quot modis dicitur vnum contrariorum, totidem & alterum. 16.Regula

Contraria sunt in quadruplici differentia, ut pote aduersa, relata, contradicentia, & priuantia. Aduersa quidem sunt, ut candidum & atrum: relata, ut maius, & minus: contradicentia, ut bonum, & non bonum: priuantia, ut perfectus, & imperfectus. Monet regula in scholis quot modis contrariorum alterum, tot modis & alterum usurpari. Nunc obserua quàm sit sui similis regula, candidum, inquam, & atrũ, sunt aduersa: bifariam autem dicitur aliquid candidum, uel quia candore affectum, uel quia pectore candidum. Pariter igitur atrũ & obscurum, candido aduersum bifariam dicitur, uel enim est affectũ atrore, uel idem significat atq; subdolum & fraudulentum animum. Similiter maius & minus relata sunt. atqui maius & corpore & animo dicitur: minus igitur & corpore dicetur & animo. Nec absimiliter bonum triplex est, animi, corporis, & fortunæ: & ex aduersum triplex nõ bonum correspondet. dico, non bonũ animi, corporis, & fortunæ. Priuantia sunt, perfectus & imperfectus: ut uerò multa sunt perfecti genera, ita & imperfecti. Est enim perfectus Orator, perfectus musicus, perfectus philosophus, & plurimis alijs modis est usui, ac totidem significationibus nomen imperfectus explicatur. Quot igitur modis unum

contrariorum uocatur in usum, tot modis & alterum.

17. Regula *In disciplinis tradendis, imperfecta sub perfectis subordinanda sunt.*

Constituit Aristoteles decem uniuersarum rerum ordines, primum quidem substantiarum, nouem uerò reliquos accidentium: at uerò substantiarum essentiales differentiæ, materies, & forma, partes etiam integrales in eodem ordine substantiarum coordinantur. Atq; in tradendis doctrinis ita omnia reducuntur ad capita quædam, ut imperfecta reuocẽtur ad rationem & ordinem perfectiorum. Sexcenta possent adhiberi exẽpla, nisi huius institutionis breuitas nos aliud admoneret.

Hæ regulæ solo usu, qui optimus dicendi magister est, nituntur,

Argumentatio, est oratio constans ex antecedente & consequente, nota collectionis.

Antecedens est, ex quo colligitur consequens.

Consequens est, quod colligitur ex antecedente.

Argumentationis tribus terminis constantis, Antecedens ex duobus conflatur pronuntiatis: quorum vnum appellatur maior siue Propositio, quo, inquam, conferimus medium cũ extremo maiori: alterum dicitur minor siue Assumptio, quo confertur medium cum minori extremo πρόληψιν Græci vocant.

Ultimum Pronunciatum, est conclusio siue consequens.

Propositio concedenda est, neganda, vel distinguenda: pariter & Assumptio, nota collectionis, nota illationis, nota consecutionis idem:

Sic ergo cõnectam: Omne animal uiuit, Omnis homo est animal, Er

go omnis homo uiuit. Antecedens fuerit hæc oratio, Omne animal uiuit, & Omnis homo est animal: consequens, Omnis homo uiuit, Propositio, Omne animal uiuit: Assumptio, Omnis homo est animal. Nota collectionis, nota ergo maius extremũ uiuit, minus extremũ homo: animal autẽ est medium, quod in maiori pronuntiato cõparatur cum extremo maiori in minori, hoc est, in Assumptione cum extremo minori, quodq; in toto antecedente cum utroq; comparatur extremo, antecedẽtis pars est & Assumptio, neutra tamen est: antecedens dicitur autem utraque sumptio. Hæc de argumentatione dicta sint in præsenti rudi (ut aiunt) Minerua: nam exacta eorum ratio in summa prioris Resolutionis inferius est enarranda. Nota collectionis illationisue ea est, quæ denotat consequens effici ex antecedente: ut ergo, igitur, quando, quandoquidẽ, quia, & quiduis aliud, quod similem his præseferat significationem. Ad consequendam uariam illam & multiplicem ratiocinandi rationẽ prius de pronuntiatis dicendum erit, quæ quia ex simplicibus rerum nominibus componi debent, prius, tanquam in propatulo proponenda sunt decem genera rerum, in quibus tanquam in decem promptuarijs reposita sit quæuis res, de qua dicendum sit, uel quæ sit alicui tribuenda: ut habentes ad manum omnia, facilè poßimus expromere ex his omniũ enunciatorum, quæ res postulet, conuenientia subiecta, & attributa.

Pronuntiatum, est oratio perfecta uerum, vel falsum significans.

Enunciatio, enunciatum, effatum, pronuntiatum, apud Ciceronem, & in scholis propositio, idem sonant.

Enunciatio vera, est enunciatio, quæ ita significat atq; reuera est: falsa, quæ secus deßignat, quàm reuera sit.

Pronunciatũ, oratio est: nam simplex dictio, nisi aliquid cum ea intelligatur minimè potest esse uera uel falsa. Oratio autẽ non omnis est enunciatũ, sed quæ perfecta & indicantis modi est. Hæc enim sola est, quæ uerum uel falsum significare potest. Si occurras percontanti, an So

crates ſit eruditus. Reſpondeo, eſt. Veritatem uel falſitatem enuntio, non tamen oratione utor, ſed ſola dictione. Non igitur uidetur omnis enunciatio eſſe oratio. Dico, uerbum eſt, ſubintellectum eſſe pronunciatum, non tamen uerbis expreſſum. In enunciationis ueræ finitione uerbum eſt abſoluitur à tempore, hoc eſt, enunciatio uera eſt, quæ ita ſignificat atq; reuera eſt, uel ita fore atq; reuera futurum eſt. Similis in enunciationis falſæ definitione adhibenda eſt interpretatio.

Enunciatio ſubiecto & copula conſtat, & attributo.

Subiectum eſt id de quo dicimus, attributum quod ſubiecto tribuimus, vel à ſubiecto abnegamus.

Copula, quæ cōnectit & copulat attributū cum ſubiecto.

Attributum & prædicatum, pro eodem vſurpantur.

Pronunciatum tribus partibus conſtat, duobus extremis, nempe ſubiecto & attributo, ac intermedia copula. Quo fit vt Ariſtoteles enunciationis extrema ſimplicia terminos appellarit.

In hoc pronunciato, Socrates eſt ſapiens, Socrates eſt ſubiectū Græcè dictum ὑποκείμενον, quaſi ſub dicentis arbitrio ſubpoſitum atq; ſubiectum, ut ei dicens tribuat, uel ab eo abneget quod libuerit. Sapiens eſt attributum, quod quidem dicitur de Socrate, Græcè κατηγορούμενον, Latinè dicitur attributum: ſiquidem Socrati aßignatur & attribuitur. philoſophorū ſcholæ prædicatum nominãt propter penuriam uocabulorum, qua laborantes utimur hoc uocabulo attributum ut Latino. Quamuis attributum propriè non uideatur eſſe id quod abnegatur de altero. Eſt tamen boni conſulendum, propter dictam penuriam, qua laboramus in exprimendis terminis artis. Terminus ab Ariſtotele conſtituitur. 1. cap. Prioris reſolutionis nomen, una, inquam, ex octo parti-

bus orationis, quæ sola ualet esse, interdum subiectum, interdum attributum. Verbum enim & participium cùm extremorum funguntur officio faciem induunt & uices gerunt nominis. Copula non est Aristoteli terminus, quia non est extremū enunciati, quibus efficitur, ut ab Aristotelis doctrina non parū discedāt, qui existimant copulā esse terminū. At uerò, ut ad perfectā Logices enarrationem accedamus, utq; tum naturæ, tum doctrinæ ordinem obseruemus, prius quàm de syllogismorū constructione disseramus, res postulat, ut pronunciatorū rationē pertractemus. Quod commodè facere, nisi decem omnium rerum ordines constituamus minimè possumus. At illorum ordinum œconomiam intelligere, neglectis quinq; uocibus, fieri nequit. In primis igitur explicandum est quid sit genus, quid differentia, quid forma, quid propriū, & quid accidens: ut eorum explicatione nos euadamus magis instructi, ad aggrediendam decem Categoriarum interpretationem. Cùm igitur omnis doctrina debeat exordiri ab uniuersis, ut autor est Aristoteles in philosophiæ naturalis præfatione, sit autem commune prædictarum quinq; uocum, nomē uniuersum siue uniuersale, primū omniū dicemus quid sit uniuersum, quantum postulat præsens institutio: nam exactior eius consideratio ad perfectam Logices præceptionem pertinet, at exactissima muneris est Methaphysici

Vniuersum est simplex voce, & significatione. quod aptum est suapte natura vt de multis dicatur: vt Genus, Forma, Differentia, Proprium, & Accidens.

Indiuiduū est, quod ex vi suæ significationis de vno solo dici potest, vt Socrates, hic homo.

Dicturus Aristoteles de simplicibus pronūciatis, ex quibus in omnibus doctrinis confici solent syllogismi: dico de illis, qui constant simplici subiecto, copula, & prædicato, priùs nobis proposuit generalem quandam simplicium nominum, quibus res omnis, siue sit communis, siue singularis, cōtineretur dignotionē: proponens eam in decem promptuarijs, in quibus Logicus ad manum habeat recondita singula quæq; nomina rerum: ut ex his tanquam ex decem locis communibus accommodatos

modatos ad quamuis rem, de qua dicendū eis sit, terminos citra negotium expromat. Quo fit ut in decem illis ordinibus Categorias Græci uocant, barbari prædicamenta, nihil collocandum ducat, præter nomen uoce & significatione simplex, & rē, quæ simplici uoce deßignaretur, cuiusq; una esset uis & natura quod propositum tanto ingenio, tātaq; arte prosecutus est Aristoteles, ut incredibilis ex horū præceptione pateat utilitas, non solum ad Logicam præceptionem & usum, sed ad reliquas etiam partes philosophiæ rimandas & exercendas. Cùm autem totum Aristotelis consilium in decem his Categorijs ordinandis dependeat, ex quinq; uocum cognitione duxit operæpretium Porphyrius, ut earum quinq; uocum præmissa institutione, nos ad Aristotelis Categorias intromitteret, & ad reliquas Logicæ tractationis partes instrueret. Sunt autem quinq; uoces, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens. Barbari Prædicabilia nominant, nos promiscuo nomine uniuersum has quinq; cōplectimur. Itaq; Porphyrius dicturus de his quinq; in sua institutione, hanc præmittit distributionem. Eorum, inquit, quæ dicuntur partim de uno tantūmodo dicuntur, uelutì indiuidua: huiusmodi est Socrates, hic homo, hæc res. Partim de multis, ut genera, ut species, ut propria, ut accidentia, ea cōmuniter in multis, non propriè in uno insunt. Quibus uerbis perinde est ac si dixisset, ea omnia, quæ in Categorijs reponenda sunt, attributa, hoc est, quæ uoce & significatione simplicia sunt, geminam subeūt differentiā. Quoduis enim attributū uel uniuersum est, uel singulare. Vniuersum, inquam, si de multis: indiuiduum & singulare, si propriæ significationis ui solùm de uno dicatur. Iam uniuersum uel Genus est, uel Differentia, uel Species, uel Proprium, uel Accidens. Deffiniamus igitur uniuersum, quod simplex est uoce & significatione, aptumq; suapte natura ut multis tribuatur. Simplex dico uoce, ad excludenda coniuncta, quæ Barbari complexa uocant: ut homo currit, homo uincit. Hæc enim à consortio Categoriarum & quinq; uocū exclusa sunt. Significatione simplex intelligo, quod synonymum est, id est, quod non est ambiguum, si mauis, quod non geminam uel multiplicem habet significationem. Siquidem canis hoc nomine quòd sit homonymum, quia triplicē obtinet significationem, interdum sydus, interdum piscem, interdum domesticum canem deßignando, sub nulla quinq; uocum continetur, nec uniuersum appellari potēst. Vt enim aliquid sit uniuersum, primum omnium

expofcimus

exposcimus, ut uoce, significationeq; sit simplex. Barbari dicebãt uniuocum, & incõplexum. Præter id addimus in definitione, ut suapte natura, hoc est, ex ui suæ significationis, aptum sit, quantum ad se attinet, ut multis tribuatur: qua ratione secluduntur indiuidua. Nam indiuiduum & si uoce & significatione sit simplex ex ui propriæ significationis, non potest multis attribui: ut Petrus, & uoce & significatione simplex est. Sed quia destinatum est nomen in hac familia, ad solum hunc hominem indicandum ex ui suæ significationis, solùm huic attribui potest. Sed rogabis, cur in uniuersi definitione interpreter suapte natura, id est, ex ui suæ significationis? Id quidem facio de industria: siquidem sol uniuersum est, quippe cùm sit simplex uoce & significatione, tamẽ cùm de multis dici nequeat, uniuersum facimus: quandoquidem, ex ui suæ significationis, aptum est, ut multis attribuatur. Idemq; iudicium faciendum est de similibus, ut sunt, phenix, dies, hora, quæ simul ac uerè dici non possunt, nisi de singulis, cùm ex ui suæ significationis multis tribui poßint. Indiuiduum à ratione quinq; uocum, & à Categoriarum explicatione reijciendum est: proponiturq; nobis dicẽdum de uniuersis, ubi quinq; uocum traditur declaratio. Cæterum obserua singulare, ut Petrus, indiuiduum appellari Græcè ἄτομον, id est, insectille: quia diuisione logica, quæ communioris est in minus cõmunia distributio, diuidi nequit. Ex his colligitur antequam uoces in dubium an aliquid sit genus, an species, an aliud quoddam attributum, prius constituendum esse sub uniuerso: nihil enim includitur sub harum quinq; uocum significatione, quod non sit uniuersum: nec ex aduersum, aliquid est, uniuersum, cui nõ aliqua quinq; uocum tribuatur. Vniuersum, uniuersale, commune, generale, interpretamur: cui contrarium correspondet, in Porphyriana diuisione, indiuiduum singulareue, dicitur à Græcis τὸ ἄτομον.

Distribuitur uniuersum in quinq; uoces, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: Genus, ut animal: Differentia, ut rationis compos: Species, ut homo: Proprium, ut ridens: Accidens, ut musicus. Correspondet autem horum quinq; attributorum unicuiq; peculiare subiectũ, de quo dicatur: ut generi subijcitur species, huic subiecta sunt indiuidua, differentiæ subiectum est, etiam species. Proprium pariter tribuitur speciei, cuius tãquã sui proprij subiecti nominatur proprium subiectum accidentis, est indiuiduum. Ex quo percipies in pronũtiandis his attributis, geminam suboriri attributionis differentiã: una quidem

D dem

dem,quæ directa nuncupatur:altera uerò,quæ inepta dicitur,uel inuersa.Recta quidem est attributio , qua dicitur attributum de suo subiecto,ut homo est animal,ut Petrus est homo,ut homo est rationis particeps,ut homo est ridens,ut Socrates est probus. Diducitur enim attributio directa in eam quæ generis est, quæ differentiæ,quæ speciei,quæ proprij,& quæ accidentis est,de suo peculiari subiecto.At quæuis alia sit,inepta & inuersa,dicitur attributio:huiusmodi est , animal est homo rationis expers,& animal est brutũ,& reliquæ istiusmodi.Definitur in scholis attributio directa in hunc modum.

Attributio directa , est enunciatio vera , & aiens ,qua tribuitur attributum suo subiecto: vt homo est animal, homo est ridens.

Attributio directa duplex est,essentialis , inquam, & accidentalis.

Essentialis est, cuius attributũ est ex essentia subiecti: vt attributio generis,vel speciei, vel differentiæ de suo subiecto.

Accidentalis est , cuius attributum est præter essentiam subiecti: cuius generis est attributio proprij,& quæ est accidentis de peculiari subiecto.

Homo non est equus,non appellatur attributio directa:quia negans est.nec homo est equus,quia falsa.nec animal est homo,quandoquidem in hac attributum, nempe homo,non dicitur de suo proprio subiecto. Non est autem animal subiectum homini , sed homo uice uersa subijcitur animali.Vt igitur attributio directa sit,tria postulamus. Primum omnium quòd sit uera , secundo loco quòd sit aiens, postremùm quòd sit alicuius attributi dicti de suo subiecto.Essentialis uel est generis uel differentiæ,uel speciei.Sunt enim hæc attributa , quæ sunt suis subiectis interna & essentialia.Est enim ex essentia Platonis homo,& in essentia hominis positum est animal.Pariter in eadem hominis essentia rationis

tionis particeps intuemur. Quæuis igitur harum est essentialis, Plato est homo, & homo est animal, & homo est rationis particeps. Prima est speciei de indiuiduo, altera generis de specie, tertia differentiæ de specie, cuius est differentia. Accidentalis est omnis attributio proprij, uel accidentis: siquidem hæc duo attributa minimè includuntur in essentia rei. Etiam enim etsi homo non esset nactus facultatem ad ridendum, idipsum esset quod est, nimirum animal rationis compos. Et accidens, ut musicus, planum est quòd sit extrinsecus accedens. Est igitur utrauis harum accidentalis attributio, homo est ridens, homo est musicus. Par est ratio in similibus. Subdiuiditur attributio essentialis in eam quæ dicit de re subiecta quid sit, & eam quæ de re subiecta docet qualis nam sit. Generis & speciei attributio de re subiecta, indicat quid sit. Attributio differentiæ suum subiectum explanat, quantum ad essentiam pertinet, quale sit.

Ex his efficitur, facile captu, uniuersum quoduis uel esset Genus, uel differentiam, uel Speciem, uel proprium, uel Accidens: nam quoduis attributum uel essentiale est, uel accidentale. Si essentiale, aut exponit subiectum quid sit, aut quale sit: si quid sit, genus est uel species: si quale sit, cùm ad essentiam spectet, differentia erit necessario. Cæterùm si sit attributum accidẽtale, uel reciprocum est, uel secus. Si reciprocum, consequitur esse proprium, sin minus, reliquum est ut sit accidens. Vniuersum igitur quoduis illud sit, uel Genus est, uel Differentia, uel Species, uel Proprium, uel Accidens.

Genus est, quod de multis specie autem differentibus dicitur, cùm quid quidq; sit quæritur, vt animal.

Nomen Genus apud Porphyrium triplex est, prima significatione aliquorum, qui inter sese quodammodo affecti sunt, & cognatione quadam coniuncti multitudo dicitur genus: ut natio Græcorum dicitur. & alio modo, genus, stirps, uel patria, à qua multi nomenclaturam ducunt: sic Thebani à Thebis, Romani à Romulo genus duxisse dicuntur. Est autem utraq; earum significationum à Grammaticis naturalis uocabuli significatio nuncupata, nam ad huius analogiam apud Logicos animal, hominis, & bruti collatione methaboricè dicitur genus, tan-

quam primus genitor, ac tanquam principium à quo primum prodit natura, id est, essentia hominis, & bruti. Definiturq; ab Aristotele quarto capite primo Topicorum, & à Porphyrio capite de genere, quod de multis, specie autem differentibus, dicitur, cùm quid quidq; sit quæritur. Quod sic debes interpretari: Genus, inquam, est uniuersum (quo nomine secludimus coniuncta, homonyma, & indiuidua) siquidem eorum nullum est genus: quia non est uniuersum. Schola propter cauillorum importunitatem operæpretium duxit ut in hac definitione & in sequentibus, reliquarum dico quatuor uocum, subintelligeremus genus, uel quod subeat uicem generis: atq; ita fit ut nulla definitio sit genus, quia non est uoce simplex, sed cōiuncta, id est, ex dictionibus coalescēs. Similiter canis excluditur à definitione, cùm non sit significatione simplex, quod synonymon appellant Græci: sed homonymon, id est, ambiguū. Pariter & indiuidua, & ab hac tota institutione sunt exclusa, ut præmonuimus, quandoquidem non pertinent ad rationem uniuersorum. Particula igitur definitionis prima scilicet quod de multis, cui Græcè correspondet τὸ κατὰ πλειόνων subindicare uidetur hoc ipsum, quod subintelligimus uniuersum siue uniuersale, in quod & indiuiduum, distribuitur attributum à Porphyrio sub his uerbis. τῶν γὰρ κατηγορουμένων, τὰ μὲν καθ' ἑνὸς λέγεται μόνου ὡς τὰ ἄτομα, οἷον Σωκράτης καὶ τὸ οὗτος, καὶ τὸ τοῦτο· τὰ δὲ κατὰ πλειόνων, ὡς τὰ γένη καὶ τὰ εἴδη καὶ αἱ διαφοραὶ, καὶ τὰ ἴδια, καὶ τὰ συμβεβηκότα κοινῶς ἀλλὰ μὴ ἰδίως τινί. id est, eorum, inquit, quæ dicuntur partim de uno tantummodo dicuntur, uelut indiuidua, cuiusmodi est Socrates, hic homo, hæc res: partim de multis, ut genera, ut species, ut differentiæ, propria, ut accidentia, quæ communiter in multis non propriè in uno insunt. Subiungitur in prædicta definitione particula illa, specie autem differentibus, ut genus secernatur ab specie. Discriminatur enim ab ea, quòd species & si de multis illa quidem dicatur, sed tamen specie minus differentibus, uerùm numero: homo enim species cùm sit, de Socrate, & Platone dicatur: qui non specie, sed numero solùm inter se differunt. At uerò animal cùm nomen generis obtineat, de homine, boue, equoq; dicitur. Porrò autem hoc interest inter genus, & proprium, quod genus multarum formarū sit genus: proprium autem solùm unius speciei est proprium. Quo circa genus de multis dicetur formis, quarum uniuscuiusq; sit genus, proprium solùm de una specie, cuius, inquam, sit proprium.

Differre specie dicuntur, quæ continentur sub repugnantibus formis: repugnantes appellamus formas eas, in quas tanquam in partes ex aduerso diuidentes, genus distribuitur: ut homo, equus, leo, distant ab inuicem specie, quæ sunt partes diuidentes, in quas genus tribuitur: idem specie dicuntur indiuidua, quæ subiecta sunt eidem speciei, ut Socrates, & Plato.

Differre numero dicimus, quæ pro diuersis rebus numerantur, ex aduerso idem numero, quæ pro una & eadẽ re numeramus: ut petrus, & Ioannes. Numero distant, quia in recensendis hominibus hos pro diuersis adnumerabimus, Marcus Tullius Cicero, etsi uoce tenus tria sint, tamen dudum dicta ratione. dicimus idem numero esse, nam in dinumerandis hominibus, pro uno numerarentur.

Superadditur in prædicta definitione particula, cùm quid quidq; sit quæritur, ad secernendas differentias, & accidentia communia: siquidem hæc uniuersa dicuntur de sibi subiectis in quæstione qua quærimus, qualis res sit: non autem quid sit. Rogas à me, quid sit homo? Respondeo, animal. Percontaris, quale animal? Dico, rationis compos. De petro percontaris, qualis homo sit? Respondeo. Musicus. Differentia igitur, & accidens de re subiecta nõ dicitur in quæstione qua quæritur de re quid sit, hoc est, qua uim & naturã rei uenamur, sed qua qualitas aut modus inuestigatur. Ex his efficitur diffinitionem generis probam esse, cùm in ea nihil desideretur nihilq; redundet.

Percontabitur aliquis cùm aio, animal esse genus, an intelligam de notione, an de uoce, an de re. Respondeo, me uerba referre ad rem notioni & uoci subiectam, itaq; animal quod unum & idem est, in omnibus indiuiduis animalibus, quodq; alioqui genus appellamus, res est minime autẽ notio nec uox, doctrina est Arist. plane tradita quarto capite primi Periermenias. Ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ μὲν καθόλου τῶν πραγμάτων, τὰ δὲ καθέκαστον. λέγω δὲ καθόλου μὲν, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι, καθέκαστον δὲ, ὃ μή. οἷον ἄνθρωπος μὲν τῶν καθόλου, Καλλίας δὲ τῶν καθέκαστον. ἀνάγκη δὲ ἀποφαίνεσθαι ὡς ὑπάρχει τι ἢ μή, ὁτὲ μὲν τῶν καθόλου τινί, ὁτὲ δὲ τῶν καθέκαστον. *Quoniam autem res partim uniuersæ sunt, partim singulæ. (Vniuersas autem appello, eas quæ suapte natura dicũtur in multis: singulas, quæ nõ dicuntur, ut homo in rebus uniuersis est: in singulis calias) necesse est effari aliquid inesse, uel non inesse rerum uniuersarum nunc, nunc singularum. Hæc Aristoteles. Quibus ex uerbis facile percipitur res distribui in uniuersas, & singulas. Quod cùm ita sit necessario*

cessariò consequitur animal. citra mentis operam, & uocis, rem esse, quæ reuera sit uniuersa. Etiam etsi nullum accedat intelligentiæ munus. Sed ne limites institutionis egrediamur, quæstionem hanc intermittamus: est enim ardua, & subtilior, quàm ut in præsenti conueniat nostræ ruditati.

Species est, quod de multis numero differentibus dicitur, in quæstione qua rei natura exquiritur: Vt homo.

Nomen species naturali uocabuli significatione primùm dicitur in uniuscuiusque forma, quæ præ se fert rei commonstrationem. Itaq; id quod in primo occursu nobis obijcitur cernendũ, id ipsum appellamus speciẽ. Quo fit ut cùm uultus referre uideatur effigiem & simulacrũ animi, species dicatur, uel elegans, uel deformis: quomodo nos suspiciẽtes decoram alicuius hominis, quam in uultu præ se fert, nescio quam adeò mirificam dignitatem dicere solemus, species quidem illa digna est imperio, ex hac autem significatione metaphora nominis, species, traducitur ad hominem, & equum, & leonem, appellandum speciem. Est enim homo tanquam proles animalis, à quo tanquam à suo genitore nomenclaturam ducit, naturam, & procreationem. Est enim genus primũ quod esse debet in constituẽda, ac definienda specie, & præter id homo uidetur quasi proles animalis ad uiuum, præ se ferens totam naturam animalis. Quis enim hominem intueatur, qui non planè cernat substantiam esse corpoream animatam & sensus compotem? In his autem cernitur animalis essentia. Ciceronis de officijs uerba sunt, species, & forma, & notio, boni uiri. Vbi ea significatione usurpat speciem, qua in libro orator ad Brutum; dixit, Optima species est figura dicendi, usurpans, inquam, speciem; naturali significatione: ut sexcentis in locis fecit. Ita dicitur species liberalis, formosa, decora, ornata, elegãs: uel misera, flebilis, deiecta, turpis, quæ naturalis est speciei significatio. Similiter species à Cicerone, nuncupatur forma, & notio, quæ subest generi, ut in Topicis: Genus est, inquit, notio, ad plures differentias pertinens: forma est notio, cuius differentia ad caput generis, & quasi fontem referri potest. Idem in libro de Oratore: Genus, inquit, id est, quod sui similes communione quadam, specie autẽ differentes, complectitur partes. Quo modo species metaphoricè, id

est.

est, translatitiè Logiceq; usurpatur. Appellatur igitur species, forma, spectrum, imago, simulacrum, siue proles generis. Iam definitur à Porphyrio: Species est, quod subest generi, & de qua genus in quæstione qua quid quidq; sit, quæritur, dicitur. Quo pacto nomen species, & infimarum formarum, & earum, quæ subalternatim nunc genera sunt, nunc species, est commune. Atqui species infima, quæ quidem à genere, omnino discriminatur, ita definitur ut iamdudum perscriptum est. Species, inquam, est quod de multis numero differentibus dicitur in quæstione, qua rei natura exquiritur. Cuius definitionis interpretationem, antequam aggrediamur, priùs aduerte, Genus & speciem, esse Relata, hoc est, quæ id quod sunt mutua sui collatione sint. Genus autem est tanquam totum: species autem generis pars, ut autem in corpore humano manus est digiti totum, eadem est brachij pars: ita & in ordine substantiarũ supremũ genus est totũ uniuersum, quod nullius est pars. Infima est species, quæ in uniuersis ita est pars, ut minimè totum appelletur Interiecta inter primũ genus & ultimam speciem, ita se gerunt, ut eorũ unumquodq; nunc totum sit, nunc pars. Totũ inquam, æstimatione formæ subiectæ: pars autem si ad superius referatur Exemplum tibi subijcimus in subsequenti formula.

	Substantia.	
Corporea	Corpus	incorporea
Animatum	Viuens	Inanime
Sensus particeps	Animal	Sensus expers
Rationis compos	Homo	Rationis expers.

In qua perspicies substantiam supremum esse sui ordinis genus, quod ita sit genus ac totum, ut nõ sit species nec pars, homo ita est species, & pars, ut in uniuersis totum esse nequeat, minimè autem omnium genus. Corpus inter substãtiam est & hominẽ interiectum, ita ut sit rei subiectæ totum, ut uiuentis, animalis, & hominis: substantiæ uerò pars est pariter uiuens, hoc autem corporis pars & species necnon animalis genus, ut animal huius forma, & hominis est genus.

Est autem obseruandum, definitionem speciei præscriptam, ita intelligendam, ut cauillorum importunitatem repellere ualeamus. Species, inquam, est uniuersum, hoc est, simplex uoce, & significatione, aptum dici de multis: quod, inquã, solùm de differentibus numero, non

item de differẽtibus specie, dicitur in quæstione qua quæritur quid sit. Atq; ita definitio prædicta solum est tribuenda infimæ speciei, quæ quidem ita species est, ut non etiam sit genus. Circa quod aduerte, in unaquaq; Categoriarum genus esse unum supremum, formas esse infimas: ut in ordine substantiarum, primum genus est substantia: ultimũ uniuersum & imum est species, sub qua nulla continetur species amplius, cuiusmodi sunt, homo, leo, equus, elefas. At uerò inter primum genus, & infimas formas, interiecta sunt, ea, quæ ὑπάλληλα genera ac species nominant, hoc est, quæ alternis uicibus nunc genera sint, nunc formæ. Itaq; si cum superiori conferantur genere, speciei: si uerò cum subiectæ sibi specie, generis rationẽ subeunt, ut in prædicto ordine animal interpositum est inter supremum genus, dico substantiam, & inter ultimam speciem hominem, estq; ob id, cùm recta ordinis linea intersideat, tum genus, tum species, & genus quidem hominis, leonis: species autem, uiuentis corporis, & substantiæ, quibus efficitur prædictã speciei definitionem, quam Porphyrius, ut ipsemet capite de specie in sua institutione docuit, referendã ad speciem infimã esse. Quod planè fieri nequit, nisi, ut diximus, ad scholæ cõtentionẽ sic exponatur, utpote: Species est, quod ita de multis differẽtibus numero dicitur, in quæstione qua rei natura exquiritur, ut non etiã dicatur de multis specie differentibus. Vt uerò nomen species promiscuum sit ad utrãq;, dico ad eam quæ ultima est siue infima, & ad eam, quæ inter primum genus & infimam formam est interiecta, ita finienda est ex Porphyrij sentẽtia: Species, id est, quod generi subijcitur, & de qua genus in quæstione qua quidquid sit quæritur, dicitur. In qua finitione illud aduerte, subintelligendum esse, ut reliquis quinq; uocibus, uniuersum: alioqui species etiam esset indiuiduum. Cæterùm obseruare debemus, supremum genus, totum esse uniuersum, non partem: indiuiduum partem esse, minus communem, non totum uniuersum: interpositorum unumquodque sui superioris partem esse, & inferioris totum.

Illud etiam nõ nos prætereat, ita conferenda cum suis subiectis esse attributa, ut unumquodq; dicatur de re peculiariter sibi subiecta: quocirca nũquam eueniet, in attributione directa inferiora de superioribus dicantur: sed semper attributa uel erunt paria, ut paribus, uel maiora ut minoribus tribuantur. Paria paribus tribuũtur, ut in hoc pronunciato, equus est hinniens, leo est rugiens: maiora de minoribus di-

cuntur

cuntur,ut beneficentia est uirtus,isosceles est triangulus,homo est animal. Sed minora de maioribus dici nequeunt,nisi hoc eueniat in attributione indirecta, longè secus se gerente quàm deceat,naturalem dicendi ordinem,in quo quidem obseruando id postulat ars, quæ nunquam non est naturæ imitatrix,ut idem fiat subiectum in attributione quod attributi reuera subiectum est.

Sed rogabis: Quare schola subalterna genera uocat media inter summum genus & imam speciem interiecta? Dico,ideo dicta,quia nūc induunt faciem generis, nunc speciei personam subeunt. Cùm igitur alternis uicibus speciei & generis ratione gerāt,appellātur ὑπάλληλα Græcè,Latinè alternatim genera & species.

Rursus sciscitaberis, qua ratione id eueniat, cùm definitio finito debeat esse notior.genus per speciē,hanc per genus uicißim finiamus. Respondeo id quidem boni consulendum, quandoquidem relatorum neutrum,altero neglecto,finiri ualet.

Differentia communiter,propriè, & maximè propriè dicitur.

Communiter vnum ab alio differt, quòd sumpto vndecunq; discrimine,vel à se differt,vel ab altero:vt senecta.

Propriè inter aliqua interest, cùm accidens, quod elui funditus non potest,dißimilitudinem facit:vt cæcitas affectio est,qua cæcus à vidente discriminatur,tanquam accidente, quod à subiecto minimè valet sequestrari.

Ea autem maximè propriè, inter se differunt, quæ differētia distant,ea quæ speciei est efficiens: velut, hic homo equo præstat, quòd est rationis particeps.

De differentia post genus, ante speciem differendum erat: sed quia genus & species adinuicem relata sunt, minimè potuit explicari quid sit genus, nisi statim cum specie coniungeretur eius ratio & pariter formæ naturam conferremus cum genere, nunc dicamus de differentia, quæ instrumentum est, quo utimur, tum ad genus in eius partes distribuendum, tum ad formam seu speciem constituẽdam, finiendam, & quantum attinet, ad munus Logicum perficiendam. Quo fit, ut hæc à Porphyrio & generis diuidens esse dicatur, & speciem complens atq; perficiens. Vt autem commodius capiamus, quid sit huiusmodi differẽtia, primùm omnium aduertendum est, hoc nomen differẽtia triplicem subire significationem: cùm enim differentia nominetur quiduis, cuius ratione unum ab altero distet, nonnunquam communiter nomen hoc uenit in usum, ut quouis modo unum sit absimile alteri, uel sui dißimile communiter, hoc est, undecunq; sumpto discrimine differre dicatur. Quomodo Socratem senem à se ipso differre dicimus, hoc nomine, quod puer fuerit, nunc autem senex. Interdum propriæ usurpamus differentiam, hac significatione, ut quoduis accidẽs, quod minimè potest separari à subiecto nuncupamus differentiã: cuius generis sunt, ridens, hinniens, atror in carbone, candor in niue. Deniq; maximè propriè differentia nominatur, quæ una est ex quinq; uocibus, de quibus nunc agimus ex professo, quæq; in scholis dicitur essentialis differentia: nimirùm quia unum ab altero distare facit quantum attinet ad rei naturã & essentiam. Porphyrius inter hanc & reliquas hoc interesse docet, quòd illæ rem faciant aliter se habere, hoc est, dißimilem esse, nunquã aliam esse: at hæc & rem aliter, & aliud esse. Itaq; senecta ea est differentia, cuius causa homo aliter se gerat, quàm priùs, cùm esset puer: at rationis compos, ita est differentia, ut hominem longè aliũ faciat, quàm esset priùs alium, inquam, natura & essentia.

Definitur essentialis differẽtia sic à Porphyrio: Differẽtia est, quæ de multis, specie autem differentibus, in quæstione qua quale quid sit indagatur, dicitur: quam sic interpretari debes: Differentia, inquam, est uniuersum, quod de multis, specie autem differentibus, in quæstione qua quale quid sit indagatur, queritur. Vt, sensus compos, differentia est: nam de homine & equo, quorũ est uniuersum dicitur, qui distant abinuicem specie: diciturq; de his in quæstione qua quale quid sit indagatur

dagatur. Rogas à me, Quid sit homo? Respondeo, Substantia. Subiungis, Qualis substantia? Dico, Corporea & animata, necnon sensus cõpos. Non igitur dicitur sensus compos in quæstione, qua quid quidquã sit quæritur: sed in quæstione qua quale quid sit indagatur.

Incurres, Rationis particeps differentia est essentialis, dicitur tamẽ solùm de differẽtibus numero: igitur alicui tribuitur definitum, cui nõ definitio? Dico definitionem hanc à Porphyrio aßignatam etiam congruere rationis participi, iuxta falsam Porphyrij & Academicorum sectam, qui malè persuasi fuerũt, rationis compos dici de angelo atq; de homine, sed nobis Christianis longè secus, existimandum est. Ego quidem ad contentionem scholæ, dico desiderandam in hac finitione particulam, de differentibus numero, quæ uitio typographorum fuerit intermissa, semperq; animum induxi uerißimile esse, ut cùm genus de differentibus specie dici & speciem de differentibus numero Porphyrius exposuisset, posteà subnecteret: differentiam dici de differentibus specie, uel saltem de differentibus numero. Idq; meo iudicio quadrat & rei ueritati, & Porphyrianæ dictioni & iuuentutẽ instruit cõmodius ac tutius ad scholæ cõtentionem. Sed ambiget aliquis qua ratione fieri queat, ut sensus compos differentia sit, cùm non sit, uniuersum: quippe cùm non sit uoce simplex. Respondeo, uice uocis simplicis nos uti cũ Cicerone hac periphrasi ut sæpe fieri solet elegãtiæ gratia in toto Logices opere. Obiectio. Dilutio. Dubium. Dilutio.

Atqui perinde atq; res ipsæ naturales et artificiales, ex materia, et forma constãt, aut ex his quæ proportione materiei & formæ dicũtur, ita & species ut homo ex genere quidẽ sub ratione materiei efficitur, & ex differentia sub ratione formæ.

Diuiditur autem bipartito differentia, dico essentialis in generis diuidẽtem, & in eam quæ perficit speciem. Has diuisionis partes scholastici nominant differentiam diuisiuam, & constitutiuam, quas docent sola ratione, non etiam & reipsa repugnare. Itaq; nulla est essentialis differentia qua genus in suas partes nõ distribuatur: & quæ generi adhibita non perficiat speciem.

Diximus igitur de tribus attributis essentialibus, de genere, inquã, specie, ac differentia, reliquum est ut ad propria & accidentia progrediamur.

Proprium est, quod in sola, totaq́ specie, idq́ semper, intelligitur: vt in homine, natum esse ad risum.

Quandoquidem ordine naturæ de attributis diximus essentialibus res postulat, ut disseramus de his quæ quidem extrinsecus aduentitia & accessoria sunt: minimè tamen ad rei essentiam pertinentiam: sunt autem huiusmodi proprium & accidens. At uerò prius de proprio, quàm de accidente dicendum est, siquidem hoc ab initijs & fontibus profluit essentiæ rei subiectæ, hoc est, speciei, cuius est propriũ: accidens, uerò nec est in essentia rei, nec ab essentialibus rei principijs emanat. Est igitur proprium accidenti hoc nomine præferendum, quod proprius accedat, ad rei essentiam: id enim inter proprium & accidens interest, quòd accidens perfectæ percipi sine subiecto, & uicißim subiectum, sine accidente, intelligi poßit: proprium uerò etsi neglecto subiecto minimè ualeat perspici, sine proprio tamen subiectum omnino capere possumus.

Atqui propriũ: quadripartito diuidũt: nã & quod uni soli speciei non toti cõuenit, ut homini mederi, uel Geometræ fungi munere, proprium appellant: & quod toti speciei, etsi non soli, uelut homini bipedem esse, & quod in sola tota specie idq; interdum reperitur, ut omni homini in senectute canescere: deniq; proprium de quo in præsenti ex professo disserimus, quod inquam ita interpretamur: est uniuersum quod omni & soli cõtento sub sua specie indiuiduo congruit, idq; semper, hoc est, omni ætate: ut ridens homini proprium est. Quãdoquidem omnis homo & solus homo suapte natura est ridẽs, hoc est, aptus ad ridendum, idq; semper, id est, in omni ætate. Itaq; canescere omni & soli homini congruit, quia tamen ad senectam, non ad omnem ætatem pertinet, minimè proprium dicitur, hac quarta significatione. In qua sola hæc omnia cõcurrũt, quod inquã, in sola totaq; specie sit, idq; semper, id est, ut dixi in omnem ætatem. Appellantur autem hæc maximè propria, quãdoquidem singula cum singulis subiectis, & formis, quarum esse dicuntur propria, reciprocantur, ut natum ad risum reciprocum est homini, cuius est proprium. Quippe cùm utrunq; sit alterius consequens, cùm rectè concludatur, homo est, ergo suapte natura est aptus ad risum, & ex aduerso, si quid sit aptum ad risum, continuò

tinuò fit, & concluditur, esse hominem. Proprium hac postrema significatione, qua sola una quinq; uocum constituitur, profluit, & emanat à fontibus essentiæ speciei subiectæ, cuius est proprium: exemplum subijciamus idem quod prius, natum, inquam, ad risum, cùm sit propriũ hominis, proficisci dicitur, & exoriri ab anima, & corpore, tanquã à quatuor causis proprijs. A corpore quidem tanquam à causa materiæ, at forma sub efficientis finis & formæ ratione. Quocirca perfectam hominis intelligentiam neglecto ridente consequi possumus, at uerò proprij naturam exactè tenere secluso subiecto minimè. Quo nomine secernemus proprium ab eo accidente, quod à suo subiectò separari non potest, est enim adeò seiũcta natura, seu essentia, ipsius accidentis, ab ea quæ est subiecti, ut neutra indigeat alterius adminiculo, ut perfectè capiatur. Sed occurres, ἴδιον, Græcè, Latinè propriũ, superius differentes definiendi ratione præmonuimus, ab Aristo. pro eo definitionis genere usurpari, quæ constat ex genere, & propria affectione, cuiusmodi est hominis, animal aptum ad risum. At uerò huiusmodi definitio, cum oratio sit, nõ autem simplex uoce, minimè ualet esse uniuersum, ergo neq; proprium, quãdoquidem superius admonuimus, in unaquaq; quinque uocum finienda, propter contentionem scholæ, subintelligendum uniuersum. Respondeo nos in hac proprij significatione, qua nunc utimur, duntaxat uerba facere de proprio, quod sit uniuersum, sed Aristotelem accommodasse idem uocabulum alia significatione ad prædictum genus definitionis notãdum, & designandum. Sed nota, definitionem prædictam à Porphyrio iuuentutis captui attemperatam esse, ut exposcebat institutionis ratio, ideoq; boni consulenda est: nam quantitatis maximè proprium est, æquale uel inæquale dici, & qualitatis maximè proprium, dici similem uel dissimilem, neutrum tamen horũ hac diffinitione participat. Quippe cùm utrunq; in genere supremo solo totoq; sit, nõ autem in sola totaq; specie. At uerò de ijs exactius apud Porphyrium disserendum, nunc satis fuerit, explicasse quid sit proprium, quantum postulat institutionis ratio.

Obiectio.

Dilutio.

Accidens est quod adest, & abest sine eius rei, in qua situm est, interitu.

Huius differentiæ duæ sunt, alterum quod separari potest, alterum quod non potest.

Accidens quinq; uocum est postrema, tanquã infima dignitate, circa cuius explicationẽ, aduerte, nomen accidens duobus modis ab Aristotele usurpari, nunc fusius, nunc strictius: fusius quidem, cùm constituit nouem Categorias accidentium, in quibus continẽtur & propria, quo pacto quicquid est, uel est per se constans, uel alteri accidit: per se constat homo, atq; ob id substantia dicitur, quasi subiectum sit & susterniculum accidentium: homini accidit motus, calor, somnus, color, figura, quantitas, & similia: quæ nimirum appellamus accidentia. Quandoquidem substãtiæ, ut rei prius subsidenti & præiacta sunt extrinsecus accedentia. Itaq; sub hac significatione, qua nunc nõ utimur, proprium includitur. Arctius usurpatur nomẽ accidens ut distinguitur à proprio. Atque sic in præsenti definimus accidens, quod, inquam, adest & abest sine eius rei, in qua situ est, interitu, hoc est: Accidens est uniuersum, quod uel reuera, uel saltẽ intellectu nunc adest, nunc abest, sine rei subiectæ interitu, in qua quippe substãtia, inhæret, & subsistit, ut candor in homine ita inest, ut interdũ adsit, interdũ absit, eodem homine superstite. Quo exemplo cernimus, accidens, quod à suo subiecto permanente incolumi aboletur. Atqui candor ita est niuis accidẽs, ut posit ab ea saltem intelligentia semoueri. Hic autem obserua, intelligentia unum ab altero separari, nihil aliud sonare, quàm quòd intelligatur & perfectè capiatur, altero neglecto. Quo perspicies, quid sit accidens à subiecto seiungi rationis munere, quid intelligentia separari uniuersum à suis partibus: deniq; quid sit, Mathematicũ abstrahere quantitatem à subiecto, hæc enim tria continentur hac interpretatione. Distribuitur accidens in geminam differẽtiam. In illud quod reuera separari potest: ut somnus, motus, calor externus, hæc enim si cõparentur ad hominẽ reuera semoueri possunt. Et illud quod à subiecto reuera separari nequit, ut calor in igne, ator in carbone, quæ quidem re ipsa minimè sequestrari possunt à substantia sibi subiecta, in qua suapte natura sita sunt, & ita congenita, ut suum subiectum necessariò consequantur.

Dubium. At sciscitaberis, quid intersit discriminis inter proprium & accidens, quod minime potest à subiecto sequestrari, cùm non secus

hominem perfectè cognoscere ualeamus,neglecto ridēte, quàm niuem, nullam rationem habendo candoris.

Dico quidem hoc nomine discriminari,quòd & subiectum sine accidentis,& accidens sine subiecti memoria percipere quàm exactißimè possumus. secus tamen est de proprio,nam etsi subiectum planè capi poßit sine proprio,ut fit per essentialem definitionem,attamen uice uersa propriū perfectè deprehendi, teneriq; non potest neglecto subiecto,maximè quia suapte natura manat à causis ex quibus constat natura subiecti,perfectaq; intellig ētia rei à perfectè cognitis eius causis. Dilutio.

Ex ijs efficitur idem natura, forma, & specie, accidentis, quod separari potest, & quod separari non potest, rationem subire posse,ut calor ab igne separari non potest,idem à lapide,fungo,& ab aqua separari potest. Appendix. prima.

Collligitur etiam quinq; solas esse uoces prædictas, ex quibus dependet decem Cathegoriarū uniuersa uis, & coordinatio, & intelligētia:quarū duabus,dico genere,et specie,quæ quæstione,qua quid res sit quæritur, dicuntur, attributa significari. Tribus uerò reliquis ea quæ dicuntur in quæstione,qua qualis res sit, indagatur. Pariter cōsequetur quinq; uocum tres primas complecti attributa essentialia,omnia enim genera,species,& differentiæ suis subiectis tribuūtur essentialiter,ut proprium,& accidens,accidentali attributione ad sua subiecta referūtur. Ad hæc omia quinq;uocum attributa, præter id quod sibi uendicant promiscuum, & omnium commune, quod,inquam, sint simplicia uoce, & significatione, aptaq; in multis esse, tum sibi uendicant, ut eorum unumquodq; directa quidem attributione solùm de re sibi subiecta collatione cuius nomen induit huius uel illius uniuersi dicatur. Et hæc quantum ad quinq; uoces. Reliquum est ut ad Categoriarum interpretationem gradum faciamus.

2.

3.

4.

Sunt autem Categoriæ decem ordines, siue decem prōptuaria siue loca communia, in quibus resident, & recondita sunt omnia genera rerum, ut opportuna Logico, & ad manum parata sint, ad conficienda pronunciata, nec non ad moliendos syllogismos. Ex quo perspicitur quanta sit Categoriarum utilitas. Nam in primis conferunt ad subministranda nobis omnium simplicium enunciatorum extrema, 1.
subiecta,inquam,& attributa. Deinde magni momenti sunt,ad mediorum inuentionem in construendis syllogismis. Nec non ad parandam 2.

copiam

copiam pronuntiatorum, de qua ex professo disseruit Aristoteles. 20. capit. 1. lib. prioris resolutionis, ut res ipsa suo loco docebit, ut Logicus magnam ad manum habeat argumentorũ suppellectilem, quantum natura rei ferat, & artis, & ingenij humani facultas ad quamlibet quæstionem sibi propositam. Ex harum enim Categoriarum dignotione, alterutrius extremorũ quid sit antecedens, quid consequens, quid repugnans, idq; uel in toto, uel in parte, uel tribuendum, uel abnegandum, expromitur. In quo tota uis comparandæ copiæ mediorum & perinde pronuntiatorum uersatur.

3 Cæterùm ad finitiones, ad diuisiones, omnibus facultatibus aperiendas prædictorum ordinum intelligentia maximã nobis opem adfert, siquidem genera, differentias, formas, propria, & accidentia, omnium rerum citra negotium ob oculos ponit, tantoq; ordine, tamq; mirifico, subministrat, ut nihil sit, quod primo nõ pateat occursu aliquid horum inuestiganti. Finitiones uerò, diuisionesq; omnes ex ijs quinq; uocibus conficiendæ sunt. Adhæc elementa, ut nominat Quin-

4 tilianus, nobis hîc proponuntur omnium rerum, à quibus tanquam à primis fontibus deriuantur; & in quæ resoluuntur, & reuocantur, in omnibus disciplinis omnia genera finitionum, diuisionum, & argumẽtationum. Videtur itaq; promiscuè decem horum generum cognitio omnium musarum ianuas aperire. Cùm rerum naturas in uniuersum proponens ad uniuersas disciplinas animum nostrum cõponat, & aditum patefaciat: nihil enim est in ulla parte Philosophiæ nobis ediscẽdum, quod primum omnium ab ijs decem fontibus non exhauriamus.

5 Plurimum etiam conferunt tanquam decem loca communia muneri

6 Dialectico. Deniq; apud Historicos in rebus describendis magnum lumẽ præbẽt, & emolumentũ, ut facilè est uidere apud singulos quosq; qui de descriptionis munere bene meriti sint. Solers enim, subtilisq; descriptio maximè omnium his utitur generibus, & horum formis tanquam locis communibus, quibus tanquam indicibus manuducatur ad ponendam ante oculos rei, quam optat descriptionem.

Aristoteles antequã ad hæc nos intromittat, institutiunculam præmittit iuuenum captui attemperatam, eamq; quàm facillimam, breuissimam, & utilissimam, tribus utens instrumentis ad hoc præstandum accommodatis finitione, diuisione, & regula. Nos igitur eius uestigia sequentes dicamus de his.

ὁμώνυμα dicuntur, quorum nomen solùm commune est, definitio autē naturæ nomini cōgruens alia atq; alia, vt animal, id quod homo est, & depictum animal.

Synonyma autem dicuntur, quorum & nomen commune est, & eadem nomini attributa naturæ diffinitio, vt animal id quod homo est, & id quod est bos.

Paronyma autem vocātur ea, quæ orta ab vno variè commutantur, vt à Grammatica Grāmaticus, fortis à fortitudine.

Cùm institutum sit Arist. in his decem categorijs simplicia nomina rerum ordinare, quæ sub aliqua prædictarum quinque uocum contineantur, fit nimirum, ut Homonyma, quæ barbari uocāt Aequiuoca & Synonyma, quæ uulgus uniuoca initio nobis proponat: hoc inquam consilio, ut Homonyma excludantur ab hac tractatione, solaq; Synonyma in categorijs constituenda deligantur. Cæterum prius de homonymis dixit, ut prius excluderētur, quàm ad præsentis cōsiderationis rationem admitterētur Synonyma. Dicit igitur Homonyma esse quorum nomen solùm commune est, definitio autem naturæ nomini congruēs alia atq; alia, quod ita est intelligendū, ac si dicerē, nomina dicuntur homonyma, cū nunc unā, nunc aliā rem significāt, ut nomen animal nunc significat, id quod est substantia, corporea, uitæ compos, & sensus, nunc uerò usurpatur ut in domo pictoris pro animali depicto. Quod autem ait, homonyma dicuntur, non autem inquit, homonyma sunt, uidetur eò referendum ut de uerbis sermonem habeat, non autem de rebus: quandoquidem homonymia uerborum affectio est, non rerum. Quod uerò subiungit, quorum nomen solùm cōmune est, ita debemus percipere, ut nomen homonymon collatum cum duabus,

uel pluribus rebus significatur, quarum collatione dicitur homonymō ita sit nomen earum commune, ut non simul & ratio sit earum promiscua. At uerò quod ait, diffinitio autem naturæ, nomini congruens alia, atque alia, sic est explanandum, ut naturæ diffinitione, intelligamus rationē essentialem, quæ, inquam, genere cōstat, & essentiali differentia, si suppetant: si uerò non suppetant saltē his, quæ generis, & specificæ differētiæ uices gerāt. In exemplū occurrit ad pedes nomen animal, cuius duo sunt significata, uiuum, ut homo, & depictū animal, ut quæuis animalis imago, est igitur nomē animal horū significatorū cōmune. Sed quoniā alia uiuo tribuitur nomē animal ratione, aliaque animali picto, propter id nomē animal homonymō dicitur. Si quis enim roget quare homo est animal, hæc reddetur ratio, quia est substātia, corporea, & animata, necnō sensus cōpos. Percontāti uerò qua ratione ducamur ad appellandā hominis uel elephantis effigiē animal, rectè respōdemus sub hac forma, quia inquā, est depicta & expressa ad animal repræsentandū A Cicerone nuncupātur ambigua huiusmodi uocabula, quæ duas uel plures habēt significationes, in rethorica ad Herēniū, cuius uerba hæc sunt: Ambigua quemadmodū uitanda sunt quæ obscurā reddunt orationē, ita hæc cōsequenda quæ conficiūt huiusmodi significationē ea reperiētur, si nouerimus uerborū ancipites ac multiplices significationes, quibus uerbis efficitur, & quod barbari dicūt, æquiuocū, & quod Græci ὁμώνυμον sub nomine ambiguum à Cicerone significari: cōplectitur enim Cicero sub ambiguorū significatione amphibologiā, uel si mauis amphibolian, quæ in oratione, uel homonymiā, quæ in simplici cernitur dictione, siquidē utranq; latine ambiguitatē appellat. Nomen igitur homonymō, seu ambiguū dicitur quod anceps, & multiplex est, interdū unā induens significationem, interdū aliā: ut contra synonymum nomē dicitur cùm unicā sub una naturæ ratione obtinet significationē, uel si forte multiplex sit, quòd una dumtaxat sumitur. Homonymis contraria sunt Polyonyma & synonymis Heteronyma, sunt autē Polyonyma nomina diuersa eandem rem eademq; ratione significātia. Heteronyma quæquidem & nomine, distant & ratione, ut leo, & candor. Illud autē aduertendū ex sententia Ciceronis prædicta & ex præscripto Arist. instituto nos in tradēdis doctrinis abhorrere debere quantū fieri poßit ab homonymia, dico

quantum

quantum fieri poßit, nam tanta laboramus uocabulorum penuria, ut uix effugere poßimus usum ambiguorũ: Dialectici subdiuidunt Homonymon, in fortuitũ, & analogon. meminit huius distinctionis Ari. 6. cap. primi Ethicorum. Fortuitum dico ut hoc nomẽ Petrus in una familia unum designans, in altera uero alterũ. Analogum appellatur quod primũ omnium destinatum est ad aliquã rem significandã, deinde uerò traductũ, & accõmodatũ ad alias rationes similitudinis, uel proportionis, quam gerunt ad illam primam: ut uox canis primum destinata est ad significandũ animal latrans, deinde uerò non fortuito, sed consultò translata est ad significandum illud genus Piscis quod supernè, & infernè triplicem habet ordinẽ, dentiũ caninorum, instar latrãtis, tũ quòd puerorũ in littore maris natantiũ calcaneos insectetur. Ex ijs efficitur homonymõ prius esse distinguendũ, quàm definiẽdum. Appendix. Rursus omne homonymum fieri posse synonymũ, si planè usurpetur una sola significatione. 2. Insuper collige falsam esse regulã uulgo sic efferri solitã: Analogum, inquam per se sumptũ, nõ semper usurpãdum pro nobiliori significato, 3. nam hoc nomen equus, & hoc nomen homo, in officina pictoris, dum fiunt uerba de imaginibus, solùm significat imaginem. Ex ijs etiam consequitur uitio dandum in praeceptore quòd à termino artis trito discedens, ut elegãtius & ornatius loquatur, homonymiam incurrat. 4.

Paronyma sunt quae cum aliquo nomine, à quo nomenclaturam ducunt, ita se gerunt, ut principio dictionis consentiãt, fine autem discrepent, ut Grammaticus paronymon est, rationem nomenclaturae ducens à Grammatica, cum qua dictionis initio conuenit, fine uerò discriminatur, dicitur autem Grammatica forma, similisq; est ratio de reliquis. Sunt autem omnia paronyma coniugata non autem ex aduerso omnia coniugata paronyma, dico autem coniugata, quae sub eiusdem nomenclaturae iugo posita sunt, ut Grãmaticus, Grãmatica, Grammaticè. in scholis Philosophorũ, ac Theologorũ increbuit usus, ut forma dicatur abstractum, & paronymon concretum, itaq; Grãmatica dicitur abstractum, quia nomine tenus prae se fert merum accidens nullam habendo rationem subiecti, & Grãmaticus nuncupatur concretũ: quia concernit accidens & subiectũ, suaq; significatio-

ne utrũq; intuetur,simulq́; significat ac denotat accidens & subiectũ.

Eorum quæ dicuntur,partim coniuncta sunt, partim simplicia. ac coniuncta quidem, vt homo currit,homo vincit: simplicia sunt, homo,bos,currit, vincit.

In Categorijs de simplicibus nominibus rerum est differendum, deinceps de cõiunctis,quorum ununquodq; duas uel plures amplectitur dictiones,ideoq́; præmittit hanc diuisionẽ, ut à consortio categoriarũ excludas cõiuncta.Quo circa sola synonyma,& simplicia uoce quæ sint ueniunt collocanda in his decem promptuarijs. Cum autem hæc in duplici differentia sin,altera quidem indiuidua,altera uniuersa,indiuiduorum,quæ propemodum infinita sunt non habetur doctrina,restat sanè ut uniuersa sint,quæ in ijs decem ordinibus erunt constituenda.Vniuersa dico(ut superius sum interpretatus)quæ simplicia sunt significatione,& uoce,præter idq; apta sunt,ut de multis dicãtur. Itaque Categoria nihil aliud est, quàm uniuersorum , quæ ad unam cõmunem naturam , eamq́; maximè generalem spectant, decens coordinatio.

Eorum, quæ sunt,alia de subiecto aliquo dicũtur,& in subiecto insunt vllo,vt homo,de subiecto enim dicitur quopiam homine, in subiecto autem vllo inest. Alia in subiecto sunt illa quidem ,sed de subiecto nullo dicuntur veluti Grammatica aliqua in subiecto inest animo,sed de subiecto nullo dicitur. Quædam & de subiecto dicũtur,& sunt in subiecto,vt scientia in subiecto animo inest , ac de subiecta Grammatica dicitur. Nonnulla nec in subiecto sita sunt,nec de subiecto dicuntur vllo,

vt ſinguli homines, vt ſinguli equi.

Quicquid eſt vel eſt ſubſtantia, vel accidens, at nulla ſubſtãtia eſt in ſubiecto, quin potius ſubſtantia ſubſterniculum, & ſubiectum eſt, in quo inhærent omnis generis accidentia.

Eſt autem accidentis proprium eſſe in altero, nempe in ſubſtantia, tãquam in ſubiecto, eſt enim in ea, non tanquam pars, nec ab illa ſeiungi, ſepariq́; poteſt.

Unum dicitur de altero, tanquam de ſubiecto, cum eſſentiali attributione pronuntiatur de altero, vt animal de homine dicitur tanquam de ſubiecto, item & rationale, vtraque enim harum eſt eſſentialis attributio, & hæc, homo eſt animal, & hæc, homo eſt rationis compos.

Quicquid eſt in rerum natura, vel ſubſtantia eſt vniuerſa, vel indiuidua, vel indiuiduum eſt accidens, vel commune.

Quoniam omnis doctrina incipit ab uniuerſis, ut ordo naturæ, doctrineq́; monet, priuſquam Ariſtot. Categorias proponat, quibus continentur decem genera rerum, prius, inquam, exorditur à promiſcua omnium rerum in quatuor capita diſtributióne: quicquid enim eſt in rerum natura, uel eſt ſubſtantia, uel accidens, horum utrunque uel uniuerſum eſt, uel indiuiduum. Quocirca quicquid natura cõſtat, ſub una quatuor differentiarum continetur, uel enim eſt ſubſtantia communis, uel ſingularis, uel accidens uniuerſale, uel indiuiduũ. Eſſen-

tialesdifferentiæ cum uniuerſis ſubſtantijs ſub ordinantur: ſit igitur ut quatuor hæc ſint omnium rerum capita. Vtitur autem ad conſtituenda hæc duabus phraſibus, quæ quidem indigent interpretatione, nempe eo quod eſt unum eſſe in altero tanquam accidens in ſubiecto, & eo quod eſt unum dici de altero, tanquam de ſubiecto, quibus expoſitis tota diuiſio liquido conſtat. Itaq; unum, inquit, eſt in altero tanquam accidens in ſubiecto, cùm in re aliqua, hoc eſt, in ſubſtātia ineſt, cuius non eſt pars, & à qua ſeiunctum conſtare nequit, ut Grāmatica in animo inhæret, & conſiſtit, à quo ſemota ne uno quidē momento, perſiſtere poteſt. Sed obijcies, ſuperius docuimus duplex eſſe accidens unū quod ſeparari poßit, alterū quod minimè, nō igitur uerū eſt, quod textus ait de accidēte uerba faciēs: quod inquā accidētis propriū ſit, eſſe in altero nēpe in ſubſtātia tanquā in ſubiecto, quia eſt in ea nō tāquā pars, nec ab illa ſeiungi, ſepararíq; poteſt, Quippe cū accidēs ſit, quod poßit à ſubiecto ſeiungi, et ſemoueri. Dico accidens à ſubiecto ſeparari poſſe, ſed quod ſeiunctū cōſtet ſine ſubiecto nō poſſe. Primū ſuperius admonuimus, ut obiectio perſuadet in accidēte ſeparabili. Alterum Ariſt. Categoricarū ſecundo capite teſtimonio freti docemus in præſentiarum. At exēplo id planū fiet, atror eſt in pariete tanquā accidens in ſubiecto, eſt igitur in pariete, cuius non eſt pars, & aboleri quidē poteſt à ſubiecto, ſed ita, ut ſine ſubiecto conſtet, minimè, idq; Græcè his uerbis expreßit Ariſt. ἐν ὑποκειμένῳ γὰρ λέγω ὃ ἐν τίνι μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστίν, id eſt, in ſubiecto eſſe dico id quod in aliquo ineſt, non tanquam pars, quodq; ſeiunctum ab eo, cui ineſt, conſtare non poteſt. Quibus uerbis intelliges, accidens quod ſeparari poteſt, à ſubiecto quidē aboleri poſſe, ſed ita ſeiungi, ut per ſe ualeat ſtare, nunquam poſſe. Dici de ſubiecto in præſenti ſecus ab Ariſt. uſurpatur, quā alijs in locis, utitur enim nūc hac ſignificatione ut unum de altero dicatur tanquam de ſubiecto, cùm de eo eſſentiali attributione pronuntietur. Itaq; animal de homine dicitur ſibi ſubiecto, tanquam id, quod eſt de natura, & eſſentia hominis. Vt uero proprium eſt accidentis eſſe in altero, tanquam in ſubiecto, ita proprium eſt uniuerſi dici de altero tanquam de ſubiecto. Quo fit ut ſubſtantia uniuerſa dicatur de ſubiecto, & non ſit in ſubiecto, indiuidua, neq; ſit in ſubiecto, neq; dicatur de ſubiecto, accidens indiuiduum

Obiectio.

Dilutio.

ſit quidem in ſubiecto, non autem de ſubiecto dicatur: attamen accidens commune tum eſt in ſubiecto, tum de ſubiecto dicitur. Exponamus exemplis, homo, quoniam ſubſtantia eſt, non eſt in ſubſtantia tanquam in ſubiecto, & quatenus uniuerſum de ſibi ſubiecto indiuiduo dicitur tanquam de ſubiecto. Cernis igitur quo pacto ſubſtantia uniuerſa de ſubiecto dicatur, minime uero ſit in ſubiecto, indiuidua ſubſtantia ut Petrus, quoniam ſubſtantia eſt, non autem accidens, non eſt in altero, tanquam in ſubiecto, eadem quoniam indiuidua eſt, de nullo tanquam de ſubiecto dicitur. Accidens uniuerſum tum accidens eſt, tum uniuerſum quo accidens, in ſubſtantia eſt ut in ſubiecto, quo uniuerſum de indiuiduo dicitur accidente tanquam de ſubiecto, ut candor in ſubiecto quidem eſt corpore, de ſubiecto dicitur de quouis candore, demum indiuiduus candor quandoquidem indiuiduus eſt, de nullo dicitur tanquam de ſubiecto, at uerò in corpore eſt tanquam in ſubiecto, nimirum quia corporis accidens eſt. Reliquum eſt igitur præter eſſentiales differentias, quas diximus, ad uniuerſarum ſubſtantiarum ordinem reuocandas, quicquid eſt, ſub horum capitum uno contineri, uel enim eſt ſubſtantia, uniuerſalis, uel indiuidua uel accidens commune, uel ſingulare.

Percontabitur aliquis, an differentia eſſentialis dicatur de altero tanquā de ſubiecto. Dico non defuiſſe recentiores Ariſt. interpretes: qui docerent, unum dici de altero tanquam de ſubiecto, cùm in quæſtione qua quæritur quid quidq; ſit, dicitur, atq; ita ſecludi differentias eſſentiales. Sed falſam eſſe doctrinam iſtam, ipſemet Ariſto. nobis exponit in prima categoria. Nos autem exiſtimamus differentiā de ſpecie, cuius eſt perficiens, cōſtituens, ſeu definiens, dici tanquā de ſubiecto, hoc nomine, quod eſſentiali attributione, tanquā id quod eſt de natura eius & eſſentia, dicit: ubi aduerte, boni cōſulendam Ariſto. phraſim, puta dici de ſubiecto quamuis uideatur ſolùm ab eo uſitata, & menti noſtræ parum familiaris: neque enim potuit ſub alia phraſi, ea qua facit, comprehendere, ut facilè dignoſcet qui ſequutus Ariſt. inſtitutū, ſine magno uerborum diſpendio uelit ad expeditū præceptū ea, quæ ſub hac phraſi cōtinētur, ex arte reuocare: inſtitutum enim eſt Ariſt. hæc, & ſimilia una promiſcua phraſi cōplecti: utpote animal dicitur de homine, non tanquam acceſſorium, ſed Dubium.

tanquam

tanquam ipsum, quod est de ipsomet homine, dico de natura hominis & essentia. Similiterq; rationis compos de homine dicitur tanquam id quod est de ipsomet homine, dico de natura & essentia ipsius hominis. Hæc autem duo exempla & similia complecti uniuersim commodius & expeditius non possumus, quàm fecit hîc Arist. appellans quodvis horum, & similium id, quod de altero dicitur tãquam de subiecto eademq; phrasi utitur in proximè sequenti regula, & in substantiæ categoria sub eadem significatione.

Cùm alterum de altero, tanquam de subiecto, dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de subiecto quoque dicetur.

Duabus regulis nos instruit Arist. ad Categorias, quarum una hæc est, altera quæ iam subsequitur. Sensus huius ita est efferendus. Quando alterum, inquam, de altero dicitur tãquam de subiecto, quicquid est de essentia prædicati, idem erit ac de essentia subiecti. Dicitur animal de homine, tanquã id, quod est de ipsomet homine, hoc est nõ extrinsecus aduenies, sed quod positũ est in essentia hoĩs: dicitur, inquam, animal de homine tanquam de subiecto, quia est de natura, & essentia hominis. Omnia igitur quæ insunt in animalis essentia, eadẽ erunt & in essentia hominis. Sunt autem in animalis essentia, substantia, corporeum, uitæ particeps, & sensus compos: quo fit, ut ui huius regulæ, pariter eadem sint, & in essentia hominis.

Quando genera diuersa sunt, nec vnum ab altero continetur, eorum etiam differẽtiæ specie differunt, ut animalis, & scientiæ. Animalis enim differentiæ sunt terrenum, & bipes, & volucre, & aquatile. At verò harum nulla scientiæ differentia est.

Eorũ

Eorum autem generum quorum vnum altero continetur, nihil prohibet, easdem esse differẽtias. Omnes enim differentiæ inferioris generis diuidentes, diuidunt & superius genus, & quæcunq; adhibentur ad superius constituendũ genus eædẽ sunt & constituentes inferioris.

Regula hæc obseruanda est cùm antecedente, est enim utraq; plurimum conferens ad omnium rerum naturas rimandas, & ob id ad parandum copiam finitionum, & diuisionum, quibus in toto logices opere interpretando, & in uniuersis disciplinis enarrandis magna parte utendum est. Genera igitur quæ ita diuersa sunt, ut neutrum sub altero contineatur diuersas habent, sub se differentias, quod intelligẽdum est de diuidentibus, non de constituentibus, ut Arist. exemplo dudum in textu, proposito, facilè liquet. At si generùm unum sub altero continetur ut animal sub uiuente, nimirum eueniet, ut nihil prohibeat, easdem esse differentias, adeoq; id uerum est, ut omnes, quæ superioris, dico in aßignato exemplo, quæ sint constituentes uiuentis, eædem etiã perficiant rationem animalis. Nec absimiliter quæcũq; sunt adminiculantes, & accõmodatæ, ut eis distribuatur animal in suas partes, eædẽ erunt consentaneæ, quibus utamur, ad faciendam, uiuentis in eius formas, diuisionem. Est enim hæc regula perpetuò uera, quòd inquam omnes differentiæ, quæ superius genus complent, eædem conducant ad inferioris uim, naturamq;, & speciem absoluendã, ut omnes, quæ perficiunt naturam uiuentis, differentiæ, pariter conferent ad efficiendũ & exprimendum, quid sit animal: est enim uiuens substãtia, corporea, & animata: animal uerò nihil aliud est, quàm natura corporea, & animata, & præter hæc sensus compos. Et contrà quibus utimur adminiculis ad inferius genus diuidendum, eisdem distribui potest & superius, ut perinde atq; dico animal aut est rationis cõpos, aut expers, faciens rationis compos, & rationis expers, differentias animalis diuidentes, ita etiam distribuere poßum, uiuens per easdem differentias, Quod inquàm, uiuit, uel est rationis particeps, uel expers rationis.

Est autem hic notandum, quòd specie differentes appellet eas differentias, quæ repugnantium formarum sunt reciprocæ perficientes, ut uolucre, ac theorica, differentiæ sunt adinuicem specie differentes, quia uolucre differentia est perficiens auē, theorica perficit Physicam, hoc est Philosophiam naturalem. Sunt autem auis, & Physica species repugnantes, quandoquidem eadem de re singulari uerè dici non possunt. Sed ijs finitionibus, diuisionibus, et regulis prælibatis, ad Categorias ipsas gradum faciamus: in quibus cùm occurrat rerum propemodum infinita uis, prudenter Arist. nominibus rerum utitur, ut loco rerum, quæ & à nobis, & adse inuicē procul distantes sunt, ijs utamur, tanquam rerum personas gerentibus: atq; res ob oculos ponentibus. Exorditur itaq; à promiscua quadam omniū rerum distinctione, qua populariter, quasi sub caligine, rudiori, per breuem, & sub exemplorum adminiculo, solùm expositam proponens decem illa rerum elemēta: non secus quàm facere solent pictores imaginem primùm carbone rudiùs adumbrantes, deinde uerò singulis coloribus accuratiùs adhibitis rem, quòd possunt ad uiuum exprimere conantur. Itaq; nos Arist. consilium sequuti, iuuētuti, quam studiosius pro institutionis ratione, trademus in categorijs, nūc in proximo textu, rudem proponimus omnium rerum dignationem.

Quæ autem simplicia sunt, ea vel substantiam significant, vel quātitatē, vel qualitatē, vel quæ cū aliquo comparantur, vel locū, vel tēpus vel situ, vel habere, vel facere, vel pati. Est autem substantia, vt populariter dicam, vt homo, vt equus. Quātitas, vt quod duorum cubitorum est, quodq; triū. Qualitas, vt candor, grammatica. Quæ cum aliquo cōparantur, vt duplū, simplum, vt maius. In loco, vt in foro, in lycio. In tēpore, vt cras, anno supe-

ſuperiore. Situ͂ eſſe vt iacere, vt ſedere. Habere vt armatum eſſe. Facere, vt ſecare, vrere. Pati, vt ſecari, vri.

Hæc rerum diſtinctio, quæ fit per nomina, ſolùm comprehendit ea quæ uoce & ſignificatione ſimplicia ſunt, quæq; apta ſunt, ut de multis dicantur, quæ inquam, ſuperius nos appellauimus uniuerſa, quæq; ſub uaria illarum quinque uocum ratione comprehendu͂tur, quibusq; conſtat ſolis Categoriarum decem, ratio. Excluduntur enim ab hac Homonyma, & coniuncta. Itaq; in Categoriarum conſideratione ſolùm de his uerba faciemus, in quibus nondum eſt ueritas, uel falſitas, & quorum unumquodq; ita in ſua categoria collocandum eſt, ut eo loco percipiatur, quem ſuæ naturæ uis & ratio poſtulat, dicturi poſt hæc de pronuntiatis, quæ quidem ex eorum mutua quadam coniunctione naſcuntur, in quibus iam uerum, aut falſum deprehendetur.

Subſtantia autem, quæ & propriè, & primu͂, & maximè appellatur, ea eſt, quæ nec de ſubiecto vllo dicitur, nec in ſubiecto vllo ineſt, vt quidam homo, quidam equus.

Secundo autem loco ſubſtantiæ uocantur ſpecies eæ, in quibus, quæ primæ naturæ nominantur, inſunt, itemq́ earum formarum genera, veluti quiſpiam homo, ſpecie quidem hominis continetur, ſpeciei autem genus eſt animal. Hæ igitur ſecundæ naturæ, ſubſtantiæq́ nominantur, vt homo, vt animal.

οὐσία græcè, latinè, ut Quintilianus interpretatur, Eſſentia, ſeu ut increbuit uſus in ſcholis, ſubſtantia, ideſt, quod per ſe co͂ſtat, quodq; ſubiectum eſt, & ſubſterniculum, in quo ſuum obtinent eſſe, ut ſuperius

monuimus,accidentia,ut homo substantia est,per se,inquam,constans, in quo tanquam accidentia in subiecto sunt. Quantitas,ut longitudo,latitudo,& altitudo. Qualitas,ut candor in corpore, Grammatica in animo. Quæ cum aliquo comparantur,ut maius,dominus,similis,æqualis in loco:ut in foro esse,uel domi. In tempore,ut cras,perendie, nudiustertius. Situm esse,ut decumbere,discumbere,sedere. Habere, ut inermem esse,ut esse amictum. Facere,ut docere,imperare. Pati, ut secari,confici,ut benè,uel malè affici. Cernis igitur hominē omnia hæc accidentia in se gestare, atq; ita secum circunferre, ut cùm hæc accidentia sint sensibus exposita,hominis natura,seu essentia, seu substantia. sit sub horum accidentium uelamine subiecta,nostrum sensum subterfugiens,quæ tamen basis,fundamentum,subiectum,substerniculum,& substantia est,necnon sedes,in qua sola extare possunt accidentia ista. Itaq; homo non indiget aliqua re,in qua sit,& constet adminicula. Cæterùm accidentis propria est affectio, ut sit in alia re tanquam in subiecto. Quicquid enim est in rerum natura,uel est substantia,uel accidens,si enim in altero sit tanquam in subiecto, dicitur accidens,quasi extrinsecus accedens alteri,cuius beneficio subsistat,& cōstet: si uerò minimè sit in altero tanquam in subiecto ,sed per se constet,substantia dicitur,nimirum quia subest,subijcitur,substernitur(& si dici queat) substat accidentibus. Est autem substantia duplex una quidem prima,altera uerò secunda dicta,utraq; finitur in textu. Primam substantiam propriam,& maximam substantiam appellat, quæ uocatur à nobis,indiuidua substantia,ut Petrus,hic homo,hic equus. Secunda substantia nihil,est aliud,quàm species uel genus huius ipsius indiuiduæ substantiæ,cuiusmodi sunt genera , & species huius primi ordinis. Nunc accedamus ad utriusq; prædictarum finitionum enodationem. Substantia,inquit,prima est,quæ & propriè,& primùm , & maximè appellatur. idest quæ quidem , si spectes propriū eius munus, quòd positum est in hoc uno, ut sit basis, & fundamentum aliorum omnium,profectò indiuidua substantia,longè ante reliquas & maximè hac nomenclatura digna uidetur. Quippe cùm non solùm accidentiū hæc,uerùm etiam,& reliquarum omnium substantiarum est subiectū, & si aliter accidentium,aliter substantiæ subiectum se præstet. Addit autē textus,ea est:quæ nec de subiecto ullo dicitur,nec in subiecto ullo

inest, quasi diceret, prima substantia ea est, quæ nec subiectum habet, de quo dicatur tanquam de subiecto: idest essentiali attributione, nec subiectum, in quo sit tanquam accidens. Quod quopacto sit intelligendum iam premonuimus, Quod autem subiungit, ut quidam homo, quidam equus, prudenter intelligendum est, alioqui est expositum cauillo, nam quidam homo uerbo tenus ut sonat, nihil minus est, quàm indiuidua substantia, sed perinde est, atq; si dixisset, quidam homo, quem tu, pro ut libuerit digito uel pronomine demonstratiuo commonstraris. Secunda substantia species, inquit, est, in quaq; prima natura, idest, substantia nominatur inest, intellige, tanquam pars minus communis in toto uniuerso recta continetur: itemq; prædictæ dudum speciei genus, ut in summa dicam, huius primi ordinis quoduis genus, & species uocatur secunda natura, seu secunda essentia, seu secunda substantia, prima uerò huius ordinis indiuiduum. Illud autem silentio prætereundum non est, hoc nomen substantia interdum primæ institutionis esse, ut hic uicem subit supremi generis, atq; sub se complectitur tunc uniuersitatem omnium substantiarum, tum primarum, tum secundarũ: qua significatione superius monuimus quicquid est, uel per se constare ut substantiã, uel in alio tanquam in subiecto inesse, ut accidens. Interdum autem nomen substantia fit secũdæ institutionis, ut in præsentiarum, quo modo subdiuiditur in primam, & secundam substantiã, cæterum nec substantia genus est primum huius ordinis, nec in ulla categoria reponitur: siquidem nomina secundæ institutionis à categoriarum Arist. instituto, sunt exclusa: quippe cùm in illis ex professo uerba fiant de terminis primæ institutionis. Est etiam aduertendum ordinem substantiarum constare generibus, formis, & differentijs essentialibus, ad formarum huius ordinis constitutionem spectantibus, indiuidua subsunt ijs, ac eorum attributa essentialia sunt prædicta genera, formæ, & differentiæ: quo fit ut de illis hæc nomine, & ratione dicantur, ut Petrus indiuiduum est, quòd animali, & homini, & rationis compoti subest, & hæc tria essentiali attributione dicũtur de Petro. Efficitur igitur ut horum unnquodq; ita Petro tribuatur, ut nomen proprium, commune sit Petro, & rationem præbeat, quæ sit in ratione Petri, hoc est, in explicatione naturæ, & essentiæ Petri. Nam ut superius monuimus quando alterum de altero dicitur, ut de subiecto,

quicquid est de natura, essentia & ratione prædicati, idem est etiam positum in essentia & ratione subiecti. Vt uerò hæc de indiuiduo dicuntur nomine, & ratione, ita & singula genera huius ordinis, ac differentiæ, de sibi subiectis formis dicuntur nomine, & ratione. Hæc Arist. in textu his uerbis exprimit. Perspicuum, inquit, est ex ijs, quæ dicta sunt, eorum, quæ de subiecto dicuntur, necesse esse nomen de subiecto dici, & definitionem, ut homo de subiecto quopiam homine dicitur, & nomen etiam dicitur, siquidem quempiam hominem ut hominem rectè appellabis, atq; etiam hominis de aliquo homine dicetur definitio: homo enim quispiam & homo est, & animal rationis particeps, ergo & nomen de subiecto dicetur & definitio, hæc Aristoteles. Iam igitur uides in prima substantia, etsi subiectum omnium sit, aliter tamen subesse secundæ substantiæ, necnon eius differentiæ, a-

Appendix. tialiter accidentibus, quandoquidē hæ primæ nomine, & ratione tribuuntur, idest: ita de ea efferūtur, ut eorū nomē fiat nomen, quo nominetur prima substātia, & eorū ratio, sit pars rationis, quæ quidē essentialiter aßignetur & tribuatur primæ. Quòd autem accidentiū sit subiectum ita euenit, quia in ea ita insunt accidētia, ut extrinsecus aduenientia & accessoria sint. Quocirca etsi nonnunquam eueniat, ut accidentis nomen fiat nomen subiecti, nunquam tamen eiusdem ratio ingredietur naturam, essentiam, & rationem subiecti, quandoquidem accidentiū Paronyma nomine quidē dicuntur de suis subiectis, at eorundem formæ, quas uulgus abstracta nominat, neq; nomine, neq; ratione. Ex ijs efficitur, cùm prima substantia reliquorum omnium, quæ sunt in rerum natura, sit subiectum, basis & fundamentum, ea sublata funditusq; aboleta, nihil in rerum natura reliquum esse posse, Aristo. doctrinam hanc his uerbis docet: quocirca inquit sublatis primis naturis, atq; substantijs, nihil loci relinquitur cæteris omnibus.

Porrò secundarum substantiarum species magis substantia est, quàm genus, quoniam ad primā naturam proprius accedit.

Si substantiam expendas sub ratione primæ institutionis, profectò una

una non dicitur altera magis minusue substantia, si uerò sumas sub secundæ institutionis ratione, haud dubiè prima substantia maximè substantia est, nimirum quia prima omnium, & præ reliquis omnibus subiectum est, basis, & fundamentum omnium, adeò ut non solùm sit subiectum accidentium, uerùm etiam secundarum substantiarum, quarum unaquæq; tantò magis rationem subiecti subibit, quantò primæ propior erit. Est autem proprium munus substantiæ, subiectum esse, & substerniculum reliquorum, quo fit ut earum unaquæq; tanto sit proprius appellanda substantia, quãto plurium subiectum est, sed exẽplo rem ipsam cõmonstremus. Homo secunda substãtia est, pariter & animal, at homo illis ad unum omnibus subest, quorum subiectum animal est, & præter hæc animali supponitur, iure igitur homo magis fungitur officio substantiæ, quàm animal, & proinde homo dicitur magis substantia, adde quòd primæ propinquior, quæ inquam maximè substantia dicta est. Ex hoc autem elicit Arist. secundarum substãtiarum speciem planius, & aptius explicare quid sit prima essentia, quàm genus: ut si cuiusdam hominis naturam explicare uelis, apertius exprimes eius naturam, & essentiam, dicens hominem esse, quàm si dicas animal: Differentiæ substantiarum, substantiæ minimè sunt, sed coordinãtur cum iis hoc nomine, quoniam harum essentialia sunt attributa, partes etiam substantiarum essentiales, & integrales in eodẽ ordine cum tota substantia subordinãtur, nam ut regula superius nos monuit imperfecta sub perfectis coordinanda sunt.

Hoc autem omni substantiæ commune est, non inesse in subiecto.

Accidentis proprium superius diximus esse, quòd insit in altero tãquam in subiecto, commune igitur est omnium substantiarum non esse in altero tanquã accidens in subiecto: Dixit commune, non propriũ, quia substantiarum differentiæ similem quantum ad hoc nãciscuntur conditionem.

Hoc autem essentiis ipsis, & differentiis tributum est, ut de quibus ipsa dicuntur συνωνύμως dicantur.

Prima

Prima substantia de nullo dicitur, neq; essentiali, neq; accidẽtaria attributione, at secũdarum substantiarum formæ de indiuiduis dicũtur genus & de speciebus, & de indiuiduis, similiter differentiæ de formis indiuiduisq; dicuntur, omnia igitur attributa huius ordinis de suis subiectis συνωνύμως dicuntur, hoc est nomine, quod nomen sit subiecti, & ratione, quæ sit in ratione, natura, & essentia subiecti, cuiusmodi sunt secundæ substantiæ, atq; earum differentiæ. Sed hoc paulò antè satis est explicatum.

Omnis etiam substãtia quiddam hoc, vel illud significat.

Omnis inquam essentia, ut inquit Boëtius, hoc aliquid significat. i. quòd textus, interprete Perionio inquit, quiddam hoc uel illud, ego quidem explicare soleo sub hac forma: commune, inquam, est omnium substantiarum hoc aliquid. i. hoc quiddam, siue hoc quidpiam, si manis, naturam hanc digito cõmonstratam. i. essentiam indiuiduam significare. Id autem interest inter primam & secundam essentiã, quòd prima significet quiddam hoc, idest, substãtiam indiuiduam adæquata significatione, ut Petrus significat substantiam hanc: idest, hominẽ hunc: secunda uerò substantia significet etiam substantiam hanc, uel illam, non tamen adæquata significatione. Præterea quòd secũda substantia potius qualequid significat, quàm hoc aliquid: homo enim adæquata significatione habet significare qualequid: idest quid quale animal inquam rationale, ut si roges quid significet homo, respondebo, quòd est animal rationale, ubi animal cernis esse simpliciter aliquid, rationale nobis exprimere q̃le illud animal sit. Quocirca ut propriũ est primæ substantiæ significare quidpiã hoc uel illud, seu hoc aliquid, ita peculiariter hoc sibi uendicat secunda substantia, ut, inquam significet qualequid: idest, quidquale, quid inquam: substantiam, quale, talem uel talem, dico, tali uel tali differentia completam, definitam, & perfectam. Quod autẽ ait Perionius, hominem uel animal, non quidpiam hoc significare, sed qualitatem potius, planè falsum est, & Aristoteles hoc dixit, cuius uerba sunt, ἐπὶ μὲν οὖν τῶν πρώτων οὐσιῶν ἀναμφισβήτητον καὶ ἀληθές ἐστιν ὅτι τόδε τι σημαίνει ἄτομον γὰρ ἓν ἀριθμῷ τὸ δηλούμενόν ἐστιν ἐπὶ δὲ τῶν δευτέρων οὐσιῶν φαίνεται μὲν ὁμοίως τῷ σχήματι

τῆς

τῆς προσηγορίας δὲ ἢ τι σημαίνειν ὅταν εἴπῃ ἄνθρωπον ἢ ζῶον οὐ μὴν γε ἀληθὲς ἀλλὰ μᾶλλον ποιόν τι σημαίνει, idest, ut inquit Perionius secundæ autem uidentur illæ quidem similiter, figura appellationis hoc quidpiam significare, cùm dicitur homo uel animal, non tamē id uerū est, sed potiùs qualitatē significant. Diuus Seuerinus Boëtius locum hūc, meo iudicio græcis uerbis cōcinnius, & ueritatis studio, mentiq; nostræ accōmodatius interpretatus est. In secundis, inquit, substantijs uidetur quidem similiter propter appellationis figuram hoc aliquid significare, quādo quis dixerit hominem, uel animal, non tamen uerum est, sed magis quale aliquid significant. Itaq; Boëtius uerbum uerbo reddendo non dixit secundam substātiam qualitatem potius significare, quod planè contrauenit hîc Arist. instituto, sed quod græcè legimus ἀλλὰ μᾶλλον ποιόν τι σημαίνει sic latinè interpretatur, sed magis quale aliquid significāt. Proposuit enim Arist. eo in loco docere propriū esse secundæ substantiæ significare qualequid, quod quāuis uideatur habere commune cum accidentibus, attamen nihil minus est: quandoquidē accidentia simpliciter quale significant, nam essentiali significatione candidum simpliciter quale significat: at uerò secunda substantia non simpliciter quale, sed quid quale designat: idest, ut Boëtius inquit, quale aliquid, & ut ipsemet Perionius paulò inferius de secundis substātijs uerba faciens rectißimè scripsit: significat enim talem aliquā substantiam, quòd perinde est, atq; si dixisset, secunda substantia non meram qualitatem, non merum quale, ut accidentia, sed substantiam talē idest, tali differentia essentiali definitam significat. Quem sensum Arist. græcè ab oculos ponit, conferens enim animal & hominem, idest, secundam substantiam cum accidente albo, ita docet de secunda substātia dicens. οὐχ ἁπλῶς δὲ ποιόν τι σημαίνει ὥσπερ τὸ λευκόν. οὐδὲν γὰρ ἄλλο σημαίνει τὸ λευκὸν ἀλλὰ ἢ ποιόν i. nō simpliciter qualequoddā significat, quēadmodū albū, nihil enim præsefert nomen albū, quā id, quod pertinet ad qualitatē, quasi diceret Arist. albū uel meram qualitatē, uel merum quale significat, non item & substantiam. At uerò secunda substantia non quidem simplex, nudùmue quale, sed qualem quandam substātiā designat, ποιὰν γάρ τινα οὐσίαν σημαίνει hoc est, substātiam talem, uel talem designat: sed exemplo declaremus hoc familiarius. Rogas à me qualis sit Petrus? respōdeo albus, musicus, benemoratus, qualis sit designo. Rogas à me quid sit homo? Respondeo est animal:

rursus percontaris, quale animal? dico rationis compos: primũ qui dẽ dixi quid sit, deinde quale illud sit, significat igitur homo id, quod est animal rationis compos, nempe quale aliquid, ut Boëtius dixit, nam significat animal, quod est simpliciter aliquid, illud tale utpote rationale nomen autem album & quoduis ei simile quod accidentis nomen sit minimè substantiam, sonat, nec præ se fert, si enim roges à me quid sit albũ, minimè quidem substantiã aßignabo, sed simpliciter id quod merè pertinet ad qualitatem, non item ad substantiam, dicens affectũ colore uisum suapte natura dißipantem. At illud nos non præterfugiat apud Aristo. & Porphyrium quod græcè τὸ ποιόν τι, latinè qualequid, uel si mauis cum Boëtio quale aliquid trifariã in usum uocari, uno modo: ut qualequid idem sonet atq; qualequoduis, siue sit essentiale, siue sit accidentale quomodo Porphirius capite de genere docet differentias, et accidentia de re dici nõ in quæstione qua quid quidq; sit quæritur, sed qualequid quiq; sit. Altero modo qualequid usurpatur ad differentiam essentialem, ut soli differentiæ essentiali attribuatur, quopactò dicimus solam differentiam de re subiectã dici, in quæstione, qua quærimus quale quid sit, ubi quale quid intelligimus quale substantiale pertinens nimirum ad essentialem definitionẽ, quã designatur quid aliquid sit. Deniq; qualequid in præsenti loco tribuitur tanquam proprium secundæ substantiæ, ut qualequid idem sonet, atq; quid quale. itaq; idẽ est dictu qualequid hoc in loco, ac si dicerẽ substãtia talis ut exposui, i. substãtia tali uel tali differẽtia definita.

Itaq; homo cùm sit secunda substantia significat aliquid quale, dico substantiam quandam talem, uel talem, significat enim id quod est animal rationis compos. Est autem aduertẽda huius uocabuli homonymia, quandoquidem ea neglecta, densas tenebras paßim offunderet, ut & quæuis alia. Magna enim errorum pars prouenit ob uocabulorum uariam significationem, atq; ita primum studium Dialectici esse debet in hac discernenda & distinguenda. Hæretici præsertim qui nũc nobis negotium facessunt in disserendo, nihil magis execrantur, quã uocabulorum exactas distinctiones, semper enim ita natura comparatum est, ut qui densis tenebris delectatur, lucem, & lumen summopere insectetur, ut facere solet improbißimus, & imperitißimus quisq;, atq; utinam Deus optimus pestes has à nobis auertere dignetur.

Iam hoc etiam substantijs insitum est, ut ipsis

nihil

nihil sit contrarium.

Substantia subiectum est, cui uicißim insunt contraria: quo fit ut substantia substantiæ non sit contraria, sed ipsa sit subiectum contrariorum susceptiuum, ut aqua nunc subit calorem, nunc frigus. Non est autem hoc substantiæ proprium, quinetiam in plerisq; alijs rebus cernitur, ueluti in quantitate, neq; enim rei duorum cubitorum aut trium quicquam contrarium est.

Illud præterea substantijs conuenit, ut neq; elationem, neque submißionem accipere poßint.

Aduerbijs inquit, magis & minus in discernendis substantijs minime utimur. Vbi aduerte substantiam: ut est secundæ institutionis unã alteram magis uel minus esse substãtiã, ut prima magis est οὐσία*.i. essentia, quàm secũda. at sub ratione primæ institutionis aduerbia ista nullũ habent locũ in substantijs, nec enim unus homo magis aut minus homo est altero, nec arbor arbore magis aut minus est substantia. Par est ratio in reliquis huius ordinis. Quare non patitur substantia aduerbia magis aut minus sibi tribui, ut est terminus primæ institutionis sed ut secundæ est, facilè.*

Sed hoc substãtiæ est propriũ maximè, una eadẽq; cũ sit numero, uim habere accipiendi cõtraria.

Non id maximè proprium substantiæ dicitur, quia in tota & sola substantia est, idq; semper, quandoquidem cœlum substantia est, quæ tamen contraria non accipit: ut autor est Arist. primo de Cœlo. Dicitur tamen maximè proprium eius, quia maximè omnium quæ dicimus: hoc pertinere uidetur ad peculiare munus essentiæ, quo nomine subiectum est & substerniculum accidentium. Aduersa uerò quæ nomine contrarium cũ Perionio & Gruchio hic intelligimus, perpetuò accidẽtia sunt. Idẽ itaq; homo numero nũc æstuat, nũc alget, idẽ numero aër iam tenuis est, iã crassus. Sed incurras actio est accidẽs, eadẽq; numero fieri potest uitiosa, & recta, ergo subire cõtraria substãtiæ non maximè propriũ, & peculiare munus est. Antecedens ostẽditur nam eadem actio elargiendi eleemosynam si referatur ad Deum proba est, eadem si referatur ad inanem gloriam fit improba: Respon- Obiectio. Diluitio.

deo negando eandem esse numero actionem, ut Arist. docet in essentiæ categoria, id, quod obseruatu dignum est, primo enim occursu theologo, & morali philosopho uidebitur absonum, cùm tamen reuera ita sit, nunquam enim est eadem numero actio, quæ recta, & quæ uitiosa est: quippe cùm immutato fine, loco, uel tempore, uel modo, iam sit aliud institutum, aliudq; formale obiectum, atq; ob id alia numero actio. Rursus obijcies, opinionem accidens esse, sed nũc ueram, nũc falsam obseruari. Respondeo, maximè proprium substantiæ intelligendũ accipere cõtraria cum sui mutatione, at uerò sine sui mutatione opinio iam uera, iam falsa est, ut si existimem aquam esse calidam, idq; uerè, atq; aqua frigescat me inscio, sanè in mente mea opinio fit ex uera falsa, non sui, sed aquæ mutatione. Ex eo enim quod res est, aut non est: idcircò uera est opinio, aut falsa. Accedit quòd ueritas, quæ nimirum analogia, idest, proportio est rei ad intelligentiam, qua utraq; harum alteri consentanea est, ut contra falsitas, qua res intelligentiæ dissentit, utraq; igitur ratio, si mauis relatio est suapte natura, minimè igitur ueritas, & falsitas contraria sunt. Quibus efficitur, rectè dictũ maximè proprium substantiarum esse, ut una & eadem numero permanens uim habeat alternis uicibus accipiẽdi cõtraria. Aduerte autẽ substantiam partim subesse considerationi Physicæ, partim uerò Metaphysicæ, adeò ut subiecta materies Physices constituatur substãtia corporea, & incorporea Metaphysices: quapropter exacta substãtiarum cognitio, non à nobis hic, nec in categorijs ab Arist. sed & ab uniuersa philosophia naturali, & à Metaphysica postulanda est: illic enim ex professò de omni essentiæ genere, specie, differentia, proprijs affectionibus, & accidẽtibus agitur. Rogabis, an Deus includatur in hoc ordine. Respõdeo Deum esse supra omnes ordines, nimirũ omniũ autorem. Sed perinde atq; hoc nomine Deus apud latinos & hoc nomine θεὸς apud Græcos designatur, ita etiam nomine οὐσία non tã includitur neq; comprehenditur, quippe infinitus, quam significatur.

Obiectio.

Dilutio.

Dubium.

Tractatur autem hoc in ordine de substantia composita, sub qua subintelligimus, & subordinamus partes eius essentiales, utpote materiam, & formam, & partes integrales, ut in homine subincluditur caput, ceruix, thorax, uenter inferior, & artus, præter id, ut præmonuimus, differentiæ substantiarum, cum ijs coordinautur. Porrò generalis huius ordinis cognitio subsequente descriptione innotescit.

Substan-

- Substātia, seu natura, seu essentia.
  - Corporis expers puta πνευμα .i. spiritus
    - Deus, qui est α, & ω. idest, autor & finis, huius & reliquorum ordinū, præest autem, huic non includitur, quia tamē maximè omnium δοια est potius huic ordini præficitur quàm reliquis.
    - Angelus.
      - ἰυδαιμον
      - κακοδαιμον
    - Anima substantia incorporea quidem est, sed quia pars est, cū eo venit connumeranda.
  - Corporeanēpe Σωμα .i. corpus.
    - Simplex.
      - Cœlum.
        - Orbis Lunæ.
        - Orbis Mercurij
        - Orbis Veneris
        - Solis
        - Martis
        - Iouis
        - Saturni
        - Firmamentum
        - Primum mobile
        - Astrum
          - Planeta
          - Stella fixa.
      - Elementū
        - Ignis
        - Aër
        - Aqua
        - Terra.
    - Cōpositū.
      - Animatum idest, vitæ compos.
        - Sentiēs vipote animal.
          - Rationis cōpos puta homo, vt
            - Socrates
            - Plato
            - Aristot.
          - Rationis expers, i. brutum.
            - Terrenū
            - Aqtile
            - volucre
        - Sensus expers ī plāta.
          - Arbor vt Morus
          - Frutex vt Rubus
          - Herba vt Chamædris
      - Inanimū.
        - Mixtum perfectū.
          - Metallū vt
            - Aurum
            - Argentū
            - Stagnū
            - Aes
            - Plūbum.
            - Ferrum
          - Fosile
          - Lapis vt gemma
          - Lacryma.
        - imperfectum.
          - Nix.
          - Grando
          - Pluuia
          - Ros
          - Pruina
          - Stellæ
          - Imbres.

Quantorum autem aliud deiunctum est, aliud coniunctum, seiunctum quidem, vt numerus, coniunctum, vt linea, superficies, & corpus:

Deiunctum, secretum, discretum, & abiunctū idem. Cōiunctum, continuum, continens, cōtinuatum, idem.

Paronymon huius categoriæ quantum est, forma quantitas. Discriminantur autem à reliquis hoc nomine, quòd reliqua, dico, parony ma, & eorum formæ nunquam eidem rei tribuantur, ut probitas non homini tribuetur, sed iustitiæ, & probus uerè de homine dicetur, de iustitia minimè: at linea quantitas est, & quātum, Pariter, superficies, corpus, & numerus. Doctrina hæc est Boëtij, Numerus igitur quantitas, et quantū dicitur, & quantitas discreta, quia partes eius abinuicem secretæ sunt, ut denarius, partes septenarium, ac ternarium sortitur: quæ nō adinuicē cōmuni termino cohærēt, sed planè seiūctæ sunt. Linea continens est, cuius partes cohærent, & copulantur termino cōmuni, puncto, superficiei partes lineæ: superficieq; partes corporis. Quocirca linea, superficies, & corpus quantum est, & quantitas continua. Perfecta quantitatum intelligentia ex præclarißimis illis quatuor partibus Mathematices petēda est, dico ex Geometria, ex Arithmetica, Musica, & Astronomia: quippe cùm Geometriæ, ac Astronomiæ munus circa quantitatem coniunctam, circa discretam Arithmetices, & Musices totum uersatur. Oratio quantum est deiunctum, locus, & tempus continua sunt, nullum tamen horum est quantitas, sed hæc tria quanta dicuntur Analogicè propter similitudinem quā gerunt cum prædictis: dicitur enim oratio longa, & breuis, quia tamen partes eius perinde, atq; in numero cernuntur secretæ: idcirco quantum dicitur deiunctum: tempusq;, ac locus, quia partes obtinent cōmuni termino copulatas, in morem continuorum similiter secundum analogiam coniuncta sunt.

Quanta partim ex partibus constāt, quæ situm

quendam inter se habent, partim ex ijs quæ non habent. In primo genere cernuntur continua, quorum partes alicubi sitæ sunt, continuæ, & permanentes, cuiusmodi sunt linea, superficies, & corpus, necnon locus. In altero reliqua omnes ab ijs, quod genus erunt, oratio, tempus, motus & numerus.

Duplex est Quantorum differentia, quæ hic declaratur, aliqua enim ex partibus coalescunt, quæ situm quendam inter se habent, hæc autem tria sibi uendicant, primum omnium, quòd partes eorum alicubi sitæ sunt, deinde, quòd sint sibi continuatæ: postremùm quòd sint permanentes. Appellamus autem rem permanentem, cuius uniuersæ partes simul cum toto sunt, ut ex aduersum res fluens est à Barbaris dicta successiua: cuius partium una post alteram transfluit. Corpus itaq; partes habet alicubi sitas, quas, inquam possimus quasi digito commonstrare docẽtes an superne, an inferne, an ad dexteram, uel ad leuam sitæ sint. Ad hæc termino communi copulatas intuemur. Deniq; corpus permanentium est, & simul cum eo constat, & omnes eius partes: est igitur corpus continuorum, quæquidem ex partibus constant, quæ situm quendam inter se habent. Eandem subit naturã linea, & corporis extremitas, simul & locus. Est autem locus Arist. quarto libro Physicorũ superficies ultima corporis continentis: ut locus piscis in mari superficies est cõcaua aquæ piscem proximè circum ambientis. Oratio, & numerus excluduntur ab hoc genere, quia partibus constant, minus cohærentibus. Præter hæc tẽpus, & motus: tẽpus enim neq; res permanẽs est, nec partes habet alicubi sitas: eadẽq; ratio motus, protinus est. Illud nos nõ prætereat, propriè quãta hæc sola dici ab autoribus, quia hæc sola suapte natura subeũt affectiones multi, & pauci, aut longitudinis, & breuitatis, quæquidem affectiones propriè pertinent ad quanti naturam: reliqua uerò, ut candidum

&

& atrum, si appellemus quanta imprudenter, & casu, quanta nuncupātur, ueluti multum album aliquid dicimus, quod extremitas magna sit. Actionem, & motionem diuturnā, quòd multum interiectum sit temporis. Vbi obseruandum est, hoc loco hallucinari nonnullos, existimātes, tempus, motum, locum, & orationem per se, idest. suapte natura, & essentia, quanta esse, quodquàm falsum sit apud Aristotelem edocebimus. Nùnc satus fuerit monuisse iuuentutem, meram quantitem nullam esse nobis numerandam præter eas, quas ex professo considerant, mathemaci, quæ omnes sub numero, linea, superficie, uel corpore continētur. Est autem numerus, collectio facta ex unitatibus. Vnitas principium est omnium numerorum, ex qua sola bis, uel ter uel sæpius repetita consurgunt omnes numeri. Linea est, quæ fit ex fluxu puncti. Superficies, quæ fit ex fluxu lineæ. Corpus, quod fit ex fluxu superficiei, uel si mauis punctus est, extremitas lineæ, linea extremum superficiei, corporis extremum est superficies. Omnis linea intercipitur punctis. Superficies clauditur linea, uel lineis, linea ut circulus, lineis, ut semicirculus, trigona, quadrata altera parte longior, Rhombus, Rhomboides, Penthagona, Exagona, & Heptagona. &c. Corpus uel una superficie circunscribitur, ut globus, seu sphæra, uel multis, ut triquetum, cubus, & Pyramis.

Iam quanti nihil contrarium est.

Cōtraria sunt quæ sub eodē posita genere à se inuicē maximè distāt, eidem subiecto uicissim insunt, à quo maximè se expellunt, nisi alterum eorum sit ingenitum à natura, ut candor, & atror sub colore sunt supposita forma. Cæterùm horum nullus magis à candore distat, quàm atror, eidem substantiæ nunc unus, nunc alter inest, à qua uterq; alterum extrudit aduersa quadam ui, & alteri iniuria, nisi alterum sit natura congenitum, qua ratione consequitur ut candor à niue, & atror à carbone minimè ualeat sequestrari. Hoc igitur modo quantitati nihil est contrarium, ut res ipsa docet. At occurres, multum pauco contrarium est, pariter & magnum paruo. Respondeo multum, & paucū magnum & paruum potius esse relata, quàm quanta, quantūuis enim hæc quantitatem cōsectentur, attamen sæpius alterius collatione dicuntur. Præter id, tantum abest, ut contraria sint, quòd paruum pars magni

Obiectio.

Dilutio.

gni sit, & paucum sit etiam pars multi: binarius enim pars est millenarij, & pes, mille stadiorum pars est. Quo fit ut unum non sit in iuriũ alteri, neq; contrarium, Rursus inficiaberis, locus quantorum est, sed supernus inferno, dexter sinistro, & anticus postico cõtrarius est, ergo quantum contrarium quanto aßignatur. Respondeo distinguendo propositionem, uel enim facis uerba de loco Mathematicè, uel Physicè: Mathematicè, idest, quantum ad meram superficiem attinet, locus loco non est aduersus: Physicè, idest, quantum pertinet ad facultates, quas natura elargitur singulis locis, ad has, uel illas res fouendas, & à contrariorum in iurijs uindicandas, sic haud dubiè locus loco contrarius est, non tamẽ ratione quantitatis, sed ratione contrariæ uirtutis. Obiectio. Dilutio.

Nec verò illud magis, aut minùs in quantis reperitur,

Quòd aduerbia magis, aut minùs nullum habeant locum in quantis clariùs est, quam quòd indigeat interpretatione,

At quantorum maximè proprium est, paria, vel imparia nominari.

Par, æquum, æquale idem.

Impar, non æquum, inæquale idem.

Proprium est quarto modo quantitatis, quòd eius ratione reliqua dicantur æqualia, uel inæqualia. Cernitur enim hoc in tota, & in sola quantitate idq; semper. Sed occurres: Quantitas non est species, cùm sit summũ genus, ergo proprium quarto modo dictum obtinere nõ potest. Respondeo: Doctrina præsertim, quæ traditur rudioribus, eorum est, quæ semper, uel ut plurimùm uera sunt, ut enim una hirundo non facit uer, ita nec una exceptiuncula definitionis à Porphyrio aßignatæ ueritatis dignitati, ualebit detrahere aliquid, uel si mauis, dicito, si uim spectemus & usum uocabuli proprium, non appellandũ esse proprium nisi speciei, quod si secus fiat, boni consulendum, propter inopiam terminorum artis. Dubium. Solutio.

Nec erit præter rem hoc in loco iuuentuti rationis genera, & for-

mas in uniuersum, quantum præsens institutio postulat aperire, cùm tanti momenti sint, ad intelligenda uaria Aristo. loca, nam etsi spectant ad sequentem categoriam, commodiùs tamen percipientur in quantis, tum coniunctis, tum secretis. Est itaq; ratio duarum quantitatum eiusdem generis ad inuicem facta comparatio, cuius quinq; sunt genera, Multiplex, superparticularis, superpartiens, multiplex superparticularis, & multiplex superpartiens. Ratio multiplex est qua maior quātitas minorem aliquoties continet, ita ut nihil amplius. Itaq; si maior minorem bis contineat, & nihil est reliquum, dicetur dupla: si ter, tripla: si quater, quadrupla: si quinquies, quinquupla: si sexties, sextupla: si septies, septupla: & sic deinceps, ut. 4. ad. 2. 6. ad, 3. & 8. ad. 4 &, 12. ad. 6. duplam gerit rationem. At uerò triplam subit. 3, ad. 1. 6. ad. 2. 9. ad. 3. 12. ad. 4. Iam quadrupla ratio est. 8. ad 2. 12. ad. 3 16. ad. 4. Quinquupla est. 10. ad. 2. 20, ad. 4. 25, ad. 5. & par est habenda in reliquis huiusmodi ratio. Ratio superparticularis est, in qua minor à maiori semel duntaxat cōtinetur, sed & præter minorem aliquid ampliùs, quod est pars aliquota (uulgo dicta) minoris, quæ si sit altera medietatum, faciet ut ratio dicatur sexquialtera, si uerò quod continetur à maiori ultra minorem semel inclusum tertia sit pars minoris, ratio dicetur sexquitertia, si quarta, sexquiquarta: si quinta, sexquiquinta: si sexta, sexquisexta: & sic in infinitum progrediendo ex singulis numerorum formis, singulas partiū species deducendo, & ex ijs singulis singulas rationis superparticularis partes speciatim constituendo. Superpartiens nuncupatur ea ratio, qua quidem euenit ut maior ultra minorem semel cotentam includat adhuc id, quod non est pars aliquota, sed partes aliquotæ minoris. Atq; ita fiet ut si maior ultra minorem duas habeat adhuc eius tertias ob id ratio nominetur superbipartienstertias: si tres quintas, supertripartiensquintas, si tres septimas, supertripartiensseptimas: si uerò, ultra minorem in maiori tres adhuc includantur quintæ minoris, ratio dicetur, supertripartiensquintas: si tresseptimæ super tripartiensseptimas: si tres decimæ, supertripartiensdecimas: & similis est habenda ratio in reliquis eiusdem generis, ut. 8. ad. 5. ratio est tripartiensquintas. 7. ad. 4. tripartiens quartas. 10. ad. 7. supertripartiēs septimas. 13. ad. 10. supertripartiēs decimas. Multiplex

super-

superparticularis est ratio, qua minor aliquoties includitur in maiori & præter id aliquid, quod est pars minoris. Genus hoc tanquam compositum, partim à multiplici, partim à superparticulari species mutuatur, sed exemplo id fiet magis perspicuum. Quinarius bis continet binarium & præter id unitatẽ, quæ est altera pars binarij. Quo fit ut qua bis continet maior minorem dicatur dupla: at uerò quia continet adhuc alteram medietatem, sexquialtera, proindeq; coniunctim specifico nomine nuncupatur dupla sexquialtera, cũ simpliciter neq; sit dupla, neq; sexquialtera, & similis est habenda ratio huius naturæ formarum. Multiplex superpartiens ratio est, qua maior ultra minorem aliquoties inclusam continet aliquid quod partes est, non autem pars aliquota minoris: formas mutuò accipit hæc ut præcedẽs à suis simplicibus, est enim. 11. ad, 3. tripla superbipartiens tertias, & 14. ad. 3, quadrupla superbipartiens tertias: nec absimiliter. 18. ad 5. ratio est tripla supertripartiens quintas: & idem est iudicium in reliquis. Proportio tum à Cicerone, tum ab scholis appellatur, duarum rationum similis comparatio, Græcè dicitur ἀναλογία ut si dicam, perinde atq; se gerit. 5. ad. 3, ita etiam 15. ad. 9. similiter quemadmodũ 3. 2. ita. 12. 8. correspondet: & quod. 4. 3. id. 20 15. proportione reddit. Vnde desumitur locus ille clarißimus apud Philosophos, dictus à proportione: ut si colligam: quod est anima homini, id est forma essentialis igni, sed ex sententia Arist. 4. cap. secundi de Animo, hæc est homini causa efficiens, forma, & finis. Ergo illa pariter igni efficiens erit, finis, & forma.

Ea autem cum aliquo conferuntur, quorũ vis omnis, & natura in eo posita est, vt ad aliquid affecta sint: vt sexquialterum, si quid enim hoc est, ad suum subsexquialterum collatum est.

Post substantiam ordine naturæ statim quantitas subsequebatur cùm hæc, ut ait Rodolphus Agricola primo de Inventione instrumentum sit à natura constitutum ut eius adminiculo substantia corporea

reliquis accidentibus subijciatur. Nunc statim post quantitatem enascitur infinita relatorum uis. Quo fit ut ordine naturæ post essentiã, & quantitatem de ijs dicamus, quorũ uis in hoc cernitur ut idipsum quod sunt adinuicem collata sint. Appellantur hæc græcè τὰ πρός τι Perionius, Ciceronem sequutus, interpretatur, ea quæ cũ aliquo conferuntur: Boëtius uerbum uerbo exprimens nuncupat, ad aliquid: quia πρός τι Græcis & ad quid, seu ad aliquid Latinis idem sonant. Nos nullum uideo incommodum, quòd relata nuncupemus, ne termino artis destitutus uideatur hic ordo. Vbi aduerte, Aristotelem fuisse nobis autorem primum harum decem categoriarum, cumq; laboraret græcè penuria uocabulorum ad exprimendum supremũ genus, huius ordinis abusus est interrogatiuo uice supremi generis: ut enim simpliciter quid est interrogatiuum essentiæ, quantum, & quotum pertinẽt ad quantitates, ita etiam interrogatiuũ ad quid postulat illud ipsum cuius comparatione id, quod cũ altero confertur, hanc uel illam subit collationis rationem: ut si postulem, ad quid, seu ad quem numerũ 12. gerat rationem sextuplam, respondebis ad. 2. ad quem quæso sexquitertiam, dices ad. 9. sexquiquintam uerò, iam dices ad. 10. idẽ est in reliquis iudicium. Boëtius uidens Arist. institutum quorsum pertineret, maluit latinè ineptire, quàm Arist. consilium non aperire, appellauitq; relatum, seu cũ alio collatum ad aliquid, quia idipsum quod est, ad quidpiam collatum est. Resident ea quæ cum altero conferũtur partim in substantia, partim in quantitate, partim in qualitate, partim in quouis aliorũ generum: ut in essentia subenascitur mutua subiecti & accidentis ratio: in quantitate consequitur, quod æqua, uel non æqua sit: in qualitate quòd sit similis uel dißimilis. Atq; ita percipimus illius mutuæ rationis, seu comparationis, seu collationis, seu affectionis, quam ea, quæ adinuicem collata sunt subeunt, semper subintelligendam esse basim quandam, utpote substantiam, uel qualitatẽ, uel aliquid huiusmodi. Hanc Barbari appellant relationis fundamentum, quod moneo de industria propter eos, qui ad scholasticam theologiam tandem accessuri sunt. Schola hic duplicem relatorum differentiam aßignat, alteram quidem eorum, quæ uulgus appellat relata, secundum dici, quæ inquam nomine tenus adinuicem conferuntur: alteram eorũ quæ in perscripta definitione sunt explicata, quippè quorum

rum ratio, non solùm nomine tenus, uerùm etiam in rei natura posita mutuò deprehendatur. Reponunturq; in præsenti categoria ea sola, quæ perscripta continentur finitione, illa uerò quæ uerbo tenus cũ aliquo conferuntur, sic exprimuntur apud Arist. à Perionio: Ea inquit cum aliquo conferuntur, quæ id quod sunt, aliorum esse dicũtur, aut quoquomodo aliter cum alio conferuntur. Qua finitione non solùm ea quæ sunt huius coordinationis, sed etiam multò plura complectitur Aristoteles.

Reperitur etiam in his, quæ cum aliquo conferuntur repugnantia: vt virtus vitio est contraria cùm vtrumq; in his sit, quæ cum aliquo comparantur, & ignorationi scientia.

Aristoteles hoc docet planè in hac ipsa categoria, quod locum nõ habet nisi in relatis, quæ ut diximus uerbo tenus cũ aliquo comparantur, non autem in eis quæ suapte natura, si quid sunt ad se inuicem collata sunt. Virtus enim & uitium ignoratio & scientia, etsi uerbo tenus ad inuicem conferãtur, nihil minùs tamen sunt suapte natura quã relata cùm horum natura sit qualitas.

Illud autem magis & minùs in his reperitur quæ cùm aliquo conferuntur: nam & quòd simile et dissimile est, similiùs dissimiliusq; dicitur, & quod par & dispar est, aliud alio magis par, & dispar.

Ea quæ suapte natura cùm alio conferuntur in duplici differentia sunt, quædam enim usum aduerbiorum magis & minùs admittũt: ut equale ac inequale, simile ac dissimile: quædam respuunt ut quadruplum, sexquiquintum, sexquisextum.

Omnia verò quæ in hoc genere sunt reciprocã

tur velut seruus domini, seruus vicissimq; dominus, serui dominus esse dicitur.

Perinde est atq; si diceret, relata mutuã utrinq; subeunt adinuicẽ rationem, quandoquidem ea, quæ uerbo tenus relata sunt secundum uim dictionis ad se inuicem referuntur, & quæ suapte natura talia sunt etiam citra dictionem suapte natura geminam gerunt rationem, qua quidem id quod sunt ad se inuicem collata obtineant, reuera ut sint, atq; mutuò se respiciant, tanquam contrario se intueantur obtuitu: ut enim pater suapte natura refertur ad filium, ita etiam altera etiam correspondet ratio, qua filius ad patrem referatur.

Iam quæ sunt in hoc genere, simul sunt naturæ ordine.

Simul natura sunt apud Arist. ea, quæ cũ aiendo & negando sint sibi mutuò antecedentia, & consequentia: neutrum alterius causa est, cuiusmodi sunt duplum, & subduplum. Porrò doctrina hæc attribuẽda est solùm relatis huius ordinis, dico ijs, quæ non modò uerbo tenus uerùm etiam suapte natura ita sunt affecta, ut idipsum quod sunt ad quidpiam collata sint, ut perpetuò sit sui similis, hæc enim omnia sunt simul natura.

Obiectio. Sed incurres, pater est causa filij, ergo est prior natura filio, non igitur pater & filius sunt simul natura.

Dilutio. Dico patrem prius natura hominem esse filio, sed simul natura esse patrem huius, atq; hic est filius illius.

Obiectio. Rursus inficiaberis, causa & euentum sunt relata, ergo sunt simul natura: atqui causa ex Arist. prior est natura, ergo doctrina hæc nõ uidetur ueritati consona.

Dilutio. Respondeo, similiter, rem quæ causa est, esse quidem euento prius natura, sed non esse prius natura causam, quàm alterum sit eius euentum. Exẽpli gratia, præceptor prius natura est, quàm discipulus: sed simul natura, atq; præceptoris munus & rationem subit, alter etiam induit rationem discipuli. Nec enim prius ille præceptor huius est, quàm hic sit illius discipulus. Quibus efficitur relatorum neutrum finiri, nec sciri posse neglecto altero, ut quinquuplũ esse. 10. dignoscere

cere minimè poteris, nisi. 2. noris, nec exactè tenebis. 2. esse subquinquuplum neglecto. 10. sunt igitur ea, quæ suapte natura collata, seu relata sunt, & naturæ ordine & finiendi ac scientiæ tradēda methodo simul natura, adeò ut neutrum cohærere, nec finiri, nec sciri ualeat sine altero. Nunc ad qualitatem progrediamur.

Qualitatem autem voco ex qua quales nominamur, vt candor, qualitas est ratione cuius nix dicitur candida.

Η ποιότης græcè, latinè qualitas τὸ ποῖον Græcis & quale Latinis idem sonant. Est autem quale interrogatiuum quo postulamus maximè omnium ea, quæ sunt huius ordinis: circa quod illud non est prætermittendum interrogatiuum, quale apud Aristo. & Porphyrium trifariam obseruari latißimè, latè, & strictè: latißimè Porphyrius usurpat cap de genere, ubi ait differentias & communia accidentia dici de sibi subiectis in quæstione, qua quærimus de re qualis nam sit: latè tribuitur quale, tanquam interrogatiuum pertinens ad omnia genera accidentium, quomodo nominatur in schola quale accidentale: strictè consideratur hoc in loco, ut solùm est interrogatiuum huius ordinis.

Qualitates autem formæ sunt quatuor, vna quidem habitus & affectio.

Est autem habitus qualitas post ortum comparata, quaquidem euadimus, apti ad aliquid citra negotiū apteq; præstandum, quæq; difficulter à subiecto diuellitur: vt scientia & virtus, ars siue liberalis, siue mechanica.

Affectio est qualitas eiusdem generis parta post ortum, quæ facilè desistere potest: vt calor in aqua, rudimenta artis in anima.

Prima

Prima species qualitatis, est habitus & affectio, dicta propter inopiam simplicis uocabuli, uulgo in schola dicitur habitus & dispositio. nec ab hoc dicendi more in totum abhorruit Perionius, cùm eo interdum utatur. Est autem qualitas, primùm suapte natura, & essentia: præter id post ortum accersita, quo nomine discriminatur à ui, & imbecillitate naturæ, quæ mox comprehendetur sub altera specie. Ad hæc reddens nos aptos ad aliquid commodiùs, uel incommodiùs agendum, aut patiendum. Subit autem duplicem differentiam, uel enim permanentior, & diuturnior est, quæq; difficilè distrahi poßit, & euelli, tumq; nuncupatur habitus: uel facilè commutari, & celeriter euelli, atq; tunc dicitur affectio, non itē et habitus. Est igitur scientia, uirtus, uitiū, et ars, habitus: prima uerò cognitio, quam in initijs doctrinarum percipimus affectio solùm seu dispositio. Comparatur affectio surculo, radiculas, tenues, instar capillamentorum habenti: habitus uerò arbori quæ iam iecerit, & multas & longas, easq; crassas radices. Nec secus quàm surculus temporis beneficio in proceram arborem excrescere potest: ita etiam ex dispositione temporis progressu fit habitus. Cæterùm habitus & affectio abinuicem non differunt specie, ut homo uno die uictitans, & qui diuturnus est, minimè distant specie. Definitio igitur, habitus ita intelligenda est: est inquã qualitas post ortum parta, reddens nos aptos & prōptos ad aliquid boni uel mali agendum, uel patiendum, quæ difficulter sequastrari potest à subiecto.

At affectio, est qualitas post ortum ascita, bene uel malè nos afficiens ad aliquid agendum, uel patiendum, quæ facilè quidem separatur à subiecto. Habitus ἕξις græcè dicitur affectio, seu dispositio διάθεσις.

Alterum genus qualitatis est naturalis uis, aut imbecillitas: estq; qualitas à natura quidem ingenita, qua valentes vel imbecilli dicimur: vt salubres dicimur aliqui, aliqui verò insalubres.

Altera species qualitatis est græcè dicta δύναμις φυσικὴ ἢ ἀδυναμία, idest, naturalis uis, uel imbecillitas. Est autem qualitas, quam natura

inseuit in prima rei constitutione, ut ea simus apti ad aliquid agendũ commodiùs, uel patiendum, & cuius inopia euadamus imbecilles, experientia docet aliquos esse naturà sanos, aliquos contra naturà insalubres. Sed hic illud aduerte, quòd uis, seu potẽtia, seu Δύναμις dicatur quæ sonet perfectionẽ, ut cõtrà imbecillitas, quæ præ se fert imperfectionẽ. Itaq; potẽtia cõgenita in ortu ad furandum non est hic appellanda potentia, sed imbecillitas. Dexteritas rectè ratiocinandi, quæ nobis est à natura insita sub naturali ui, dico sub hac secunda qualitatis specie cõtinetur: atqui Logica, quæ partim præceptis, partim usu à nobis est comparata, quæ nimirum ars est, ea est habitus iam pertinens ad primam speciem qualitatis. Nec est incommodum quòd eadem qualitas sit uis & imbecillitas naturalis, exempli gratia, durities in lapide ad parendum formationi, & obtemperandum artifici, est imbecilla, eadem est ad formam domus diu firmiusq; tuendam potens & ualens.

Tertium qualitatis genus conficiũt Patibiles qualitates, & perturbationes: in quo genere sunt dulcedo, amaror, acrimonia, quæq; sunt eiusdem generis.

Tertia qualitatis forma cernitur in his, quas patibiles qualitates, uel perturbationes appellamus, Græcè patibilis qualitas παθητικὴ ποιότης, Perturbatio τὸ πάθος dicitur. Est autem patibilis qualitas, quæ quidem emanat ab affectione interiore animi, uel quæ infert affectionem animo difficilè separabilis à subiecto, ut pallor, aut atror existit siue à prima institutione naturæ, siue longo morbo, aut ardore eædem comparatæ sunt qualitates. Perturbatio est, quæ ab affectione, seu commotione interiori oritur, quæ facilè potest euelli, uel quæ seipsa momentanea est animi commotio: ut rubor proueniens ex uerecundia, pallor ex ira, uel ipsamet uerecundia, uel ira. Aristoteles perturbationes has, nunc qualitates uocat, nunc secus: quia sanè naturà qualitates sunt, sed quantum ad paronymam qualitatis rationem non uidentur appellandæ qualitates, cùm ex illis nullã accipiat subiectum nomenclaturã simpliciter qualis, sed ab illis cum adiecto aduerbio, nunc, subiectũ dica-

tur tale, uel tale: ut à rubore proueniente ex uerecundia dicetur aliquis nunc rubore affectus, non tamen simpliciter talis. Subdiuiduntur patibiles qualitates in uisiles, audibiles, gustatiles, tactiles, & olfactiles: necnon in quasuis alias aliquo sensu interiori perceptibiles. Porrò tactiles subdiuiduntur in primas, & secundas. Primæ sunt, calor, frigiditas, humiditas, & siccitas: à quibus tanquam à fontibus uniuersa secundarum uis deriuatur. Huius generis sunt, raritas, densitas, grauitas, leuitas, celeritas, tarditas, & similes. Euenit autē interdum, ut eadē naturà qualitas diuersis in subiectis considerata, nunc sit naturalis uis, nunc patibilis qualitas, nunc affectio, uel habitus: ut calor in igne naturalis est uis. In homine de industria se exercente ad calorem comparandum gratia sanitatis, est affectio, uel habitus. Idem quatenus tactū ferit benè, uel malè afficiendo, est patibilis qualitas.

Quartum qualitatis genus est figura, & ea quæ in quaq; est forma: itemq; rectitudo & obliquitas, & si quid aliud his simile est, nam ex his aliquid quale dicitur.

Quarta qualitatis differentia est, quam uno simplici nomine complecti non possumus, quamq; ob id Aristo multis nominibus descripsit, ut in iam dudum præscripto textu præmonuimus. Quod perinde est atq; si dicerem, sub quarto qualitatis genere includuntur figura, forma, rectitudo, & obliquitas, & si quid aliud simile his est. Figura est superficies plana, unica, uel duabus, uel pluribus lineis clausa: unica, inquam, ut circulus: duabus, ut semicirculus, uel portio maior uel minor circuli: tribus, ut triangulus: quatuor, ut tetragonon: quinq;, pentagonon: sex, exhagonon: septem, ut heptagonon, & sic progrediendo gradatim in infinitum. Nam singulis ex formis numerorum singulæ deriuantur species figurarum. Est autem circulus superficies plana, unica linea circunclusa, quæ circunferentia nuncupatur, in cuius medio punctus est, qui centrum appellatur, à quo rectè omnes lineæ ductæ quaquauersum, usq; ad circunferentiæ cōtactum, sunt inuicem æquales. Semicirculus figura est, quæ altera est circuli medietas: semicircunferentia &

tia & circuli dimetiente interclusa. Portio circuli maior, ea est circuli pars, quæ partim circunferētiæ maiori portione partim corda clauditur. Minor circuli portio dicitur, quæ minori parte circunferentiæ cordaq; clauditur. Dimetientem appellamus lineam rectam, quæ quidē ab una parte circunferentiæ è regione posita per circuli centrum traducitur, ita ut eum in duos diuidat semicirculos. Corda, linea est recta ita circulum dissecans, ut per centrum non transeat. Quo fit ut circulum diuidat in duas portiones, maiorem, inquam, in qua centrū relinquitur incolume, ac minorem: extra quam exclusum est centrum. Rectilinearum figurarum, primum genus trigona, quasi tribus angulis constans. Est autem angulus, duarum linearum concursus, qui duplex est: curuilineus, & rectilineus. Curuilineus, qui duabus intercipitur lineis curuis, aut una recta & altera curua. Rectilineus est, qui conficitur ex duabus lineis rectis: hic autē triplex est, rectus, cui correspondet quarta pars circuli. Obtusus, cui respondet maior pars, quā circuli quarta. Acutus, qui minor est recto. Porrò angulorum unusquisq; tantò altero maior est, quantò lineæ, quibus intercipitur abinuicem magis declinant, tantò minor, quantò ei minor intercluditur pars circunferentiæ circuli. Diuiditur trigona figura in Isocelem, scalenon, & Aequilateram. Isoceles æquipes, æquicrus idem sonant. Est autem figura trilatera, cuius duo latera sibi æqua sunt. Tertium uerò eis non æquatur. Scalenon est figura trigona, quæ tribus inuicem inæqualibus lateribus intercluditur. Aequilatera est figura, quæ tribus rectis lineis interscribitur ad inuicem æqualibus. Tetragona figura est quatuor lateribus, & quatuor angulis constans: cuius generis sunt formæ quadratum altera parte longius Rhombus, Rhomboides, Trapezias. Quadratum est tetragonum, rectangulum & æquilaterum, hoc est, & quatuor angulis inuicem æquis, & quatuor lateribus æqualibus præditum. Vnde metaphora ducta est, ut quadratum hominē appellemus qui undequaq; partibus, inquam, internis, nempe animi facultatibus & operibus, nec non corporis, sui similis est, & undequaq; sibi quadrat: altera parte longius est figura rectangula quidem omnino, cuius latera sibi exaduersum posita sunt inuicē æqualia, cùm tamen minimè sit æquilatera. Rhōbus est figura quadrilatera, & æquilatera, minimè tamen æquiangula: cuius tamen aduersi anguli sint inuicem æquales, duo tamen obtusi,

duoq; acuti. Rhōboides figura quidē est quadrilatera, nec æquiangula, nec æquilatera: cuius tamen & anguli oppositi, & latera opposita sint adinuicē adæquata. Trapezias figura est quadrāgula, seu quadrilatera: cuius & quatuor anguli & quatuor latera nullā subeunt methodicā rationē, quia sunt omnino sui absimilia. Pentagonon figura est quinque lateribus, & quinq; angulis sui similibus constans. Exagona, quæ sex: Heptagona, quæ septem, & sic deinceps. Forma hic non usurpatur pro specie, nec pro forma essentiali. Est enim Petri forma, id est, species homo, & eiusdem essentialis forma est anima rationalis, sed in præsenti longè secus formam usurpamus, nempe pro tali uel tali partium corporis extimarum accommodatione conformationeue, qua significatione dicere solemus domus hominis, candelabri, libri, uel uestis, uel cuiusuis rei corporeæ speciem elegantem esse, uel deformem. Græcè figura dicitur τὸ σχῆμα: forma uerò μορφὴ. Vtitur autem Aristot. hoc nomine μορφὴ ad uarias significationes accommodato, sed hoc in loco de industria præmonuimus qua significatione ueniat in usum Arist. proindeq; nobis eius uestigia imitantibus. Hoc autem interest inter figuram & formam, ut figura sit superficies plana una uel multis lineis circūclusa, forma sit superficie tenus in cuiuslibet corporis summa summis partibus residens in extima & conuexa superficie corporis, quam nos facilius oculis circuncernimus, quàm uerbis exprimi poßit. Est autem hæc minimè quantitas, sed externa illa, quæ nobis est conspicua corporis summa conformatio. Figura uerò superficies est. At occurres, figura est superficies, ergo quantitas est, non igitur est qualitas loco à repugnantibus? Respondeo, figuram quidem re subiecta quātitatem esse, sed sub figuræ ratione qualitatem. Par est ratio de recto, & obliquo: quorum utrunq; re subiecta quantitas est, quippe linea, sed ratione, qualitas. Est autem rectum linea ducta à puncto ad punctum per breuißimum spatium. Obliqua est linea quæ secus habet, uel si mauis, cuius medium deuium est ab extremis. Qualitatum consideratio partim spectat ad Physicum, partim ad Moralem, partim ad Mathematicum.

Obiectio.

Dilutio.

Est autem qualitatibus inter ipsas repugātia.

Qualitas qualitati aduersa est, apud Ciceronem, uulgò contraria dicitur

dicitur: id autem neq; soli, nec omni congruit qualitati. Quod autem usurpemus repugnantia pro aduersis, boni consulendum est: id enim facimus cõsilio interpretis Perionij, etsi mihi magis arrideat terminus artis sublata repugnantium homonymia. Itaq; cũ Aristotele malo eodem termino artis uti, quo prius, & ut præsens locus postulare uidetur: quandoquidem Aristoteles Græcè usus est uocabulo ἐναντιότης καὶ τὸ ἐναντίον: *quæ quidem nunquam ab Aristotele tribuũtur, quibuslibet repugnantibus, sed solùm ijs, quæ Cicero aduersa, schola contraria nominat. Itaq;* ἐναντιότης *à Boëthio exprimitur contrarietas, &* ἐναντίον *contrarium, ne discedere uideatur à more dicendi in scholis usitato. nunc iam increbuit usus ut cum Cicerone* ἐναντίον *interpretemur aduersum, &* ἐναντιότης *idem sonet nobis atq; aduersorum repugnantia.*

Recipiunt etiam intentionem, & remißionem qualia.

Non quidem *omnibus qualitatibus hoc tribuendum est, sed solùm cernitur in prima, secunda, & tertia specie.* Intenditur *autem & remittitur qualitas, & ob id paronymon eius dicitur uel magis, uel minus tale: ut cùm aqua calescit, calor quidem intenditur, ob idq; aqua dicitur magis calida.* Nauat *aliquis operam uirtuti, uirtus ipsa intentionem subit, ob quam ille dicitur magis studiosus, & magis de uirtute bene meritus.* Ex quo *colligitur, aduerbia magis & minus non habere locum, nisi in paronymis: quorum formæ subeunt incrementum, uel decrementum: aut intentionem, uel remißionem.*

Similia autem, aut dißimilia aliqua in solis qualitatibus reperiuntur: præsertim cùm nihil simile, aut dißimile dicatur alia re vlla, nisi ex qua illud quale appelletur.

Est igitur qualitatis proprium, ab ea aliquid simile, aut dißimile nominari.

Propriũ *intelligit qualitatis, hoc est, quarto modo, idq; memoriter tenendum est ad reliquas disciplinas ediscendas, quod, inquam, doctissimus*

simus quisq; rei tribuat æquale, uel inæquale referendo ad quantitatē
Dubium. simile ac dissimile ad qualitatem. Vocatur hic in dubiū, qui fiat ut scientia; habitus, & affectio, qualitates censeantur, cùm uideātur ad ea pertinere, quæ cum aliquo conferuntur. Dico scientiam, habitum, & affectionem, relata quidem esse uerbo tenus, sed suapte natura meras qua-
Dilutio. litates esse. In Categoria uerò eorum, quæ cum altero conferuntur solùm collocanda duximus, quæ suapte natura sunt cum altero collata, non modò uerbo tenus ita dicta.

Atq; etiam Agere, Patiq;, & repugnantiam recipiunt, & magis & minus: Calfacere enim, & refrigerare, sunt inter se contraria: & calescere, & frigescere.

Obserua hic repugnantiam sumi pro aduersorum contraria ratione, alioqui uocabulum est minus pertinens ad præsens institutum: quandoquidem hic uerba facit Aristoteles de prima specie contrariorum Repugnantia uerò dicuntur & aduersa, & relata, & priuantia, & contradicentia: & præter hæc ea omnia quæ adeò diuersa sunt, ut fieri nequeat quòd uni & eidem rei tribuātur. Sunt enim repugātia in substantijs homo & equus, in quibus tamen non est ἐναντιότης Græcè, id est, contrarietas barbarè, & aduersa, contrariorum ratio Latinè. Abutimur autem uocabulo ne discedamus ab interpretatione Perionij. Similiter etiā accipiunt usum aduerbiorū magis & minus, ut aquā nunc magis, nunc minus calescere dicimus, ignem magis minùsue calfacere. At uerò illud obseruandū est, quòd simul tractemus de agere, & pati: quod ideo fit, quod etsi ratione sint ad inuicem discretæ Categoriæ reuera, tamen & re subiecta idem sunt: ut enim idem est iter quo itur Thebis, Athenas, & quo itur Athenis Thebas idem, inquam, re subiecta, nō tamen ratione: ita etiam eadem numero motio, utpote calfactio actio est, qua ignis calfacit, & eadem passio est, qua quidem aqua calfit.

De cæteris Categorijs, quæ sunt Quādo, Vbi, Situs, & habere, quoniam apertæ sunt, & non obscuræ

scura, nihil amplius dicimus, præter ea quæ initio dicta sunt.

Quando interrogatiuum est eorum, quæ reponuntur in eius Categoria, similisq; ratio est ipsius Vbi, siquidem his duobus interrogatiuis abutimur uice summorum generum, quibus explicandis uocabula non suppetunt. Itaq; in Categoria dicta Quando ea omnia & sola reponenda sunt, quæ redere solemus ad interrogationem factam per Quando. Similisq; ratio est, ut dixi, in ordine dicto Vbi. Habere idem declarat atq; uestitum uel armatum esse. Ad Situm pertinent, iacere, sedere, stare, discumbere, decumbere. In categoria Vbi triplex reperitur contraria ratio aduersorum, supernum enim inferno, sinistro dextrum, & antico posticum aduersatur. Ac de decem illis generibus, quæ superius proposuimus, satis multa dicta sunt: nam exacta horum cognitio, non à nobis, sed partim à Physico, partim à morali philosopho, partim à Mathematico, maximè omniũ à Metaphysico uenit efflagitãda. Nunc de illis, quæ faciunt in præsenti ad perfectiùs assequendã Categoriarũ enarrationem, quæ uulgus Postprædicamenta nuncupat, disseramus. Ac primùm quidem à Contrarijs exorsi, quot modis opponi soleant explicemus.

Contrariorum autẽ genera sunt quatuor, vnũ eorum, quæ cum altero conferuntur: alterũ eorum, quæ aduersa dicuntur: tertium eorum, quæ priuãtia: quartum eorum, quorum alterum ait quid, alterum negat.

Hæc autem omnia, vt simpliciter proponam, sunt in ijs, quæ cũ aliquo conferuntur, vt duplum, dimidium: in ijs, quæ aduersa dixi, vt bonum, malum: Priuantia, vt cæcitas, & aspectus: Disparata, vt sapere, non sapere.

Tà

Τὰ ἀντικείμενα, quæ Boëthius cum ſchola interpretatur oppoſita, quaſi ex aduerſum ſe reſpicientia, & quaſi ſibi contra poſita. Cicero contraria uocat. Diuiduntur hic in quatuor has differentias, in ea quæ Græci uocant τὰ ἐναντία. Boëthius & ſchola, contraria: Cicero, quem Perionius, & nos hic imitamur, nuncupat aduerſa: quæ quidem ſic fi-

Quid ſint aduerſa.

niuntur: Aduerſa, inquam, ſunt quæ ſub eodem genere poſita à ſe inuicē maximè diſtant, & eidem ſubiecto uiciſſim inſunt, à quo maximè ſe extrudunt, niſi alterum horum ingenitum ſit à natura: ut cādor & atror, ſunt enim ſub eodem genere, puta ſub colore: & abinuicem ſi conferantur, cum coloribus maximè diſtant, & eidem ſubiecto, nempe, corpori elementari, uiciſſim inſint, à quo maximè ſe expellunt. Nunc enim candor atrorem, nunc uerò atror candorem extrudit, niſi eueniat ut ita ſit ſuo ſubiecto cōnaturalis, ut ab eo non ualeat ſequeſtrari. Nec enim ulla ui atroris, quantumuis iniuria auelletur candor à niue, nec atror à carbone candoris iniuria poterit ſeparari: Relata ſeu collata ſunt, quæ id quod ſunt ad inuicem collata dicuntur: ut ſcientia, ut ſcibile,

Quid ſint contraria, quæ cū aliquo conferuntur.

ſexquitertium, & ſubſexquitertium. Nec enim. 4 ſexquitertius eſt, niſi collatione. 3. nec. 3. eſt ſubſexquitertius, niſi referatur ad. 4. Porrò relata conferuntur adinuicem, interdum uno caſu, interdum altero: ut pater dicitur filij, ſimile ſimili comparatur, & adiunctum ad aliud adiūctum & ſcibile ſcientia ſcibile, idq; ſub his uerbis expreſſit Ariſt. Ac ea, inquit, quidē cōtraria, quæ cū aliquo conferūtur, quicquid ipſa ſunt cōtrarij eſſe dicūtur, aut quoquomodo aliter ad id affecta ſunt: id eſt, uel cū genitiuo, uel quoquomodo aliter, id eſt, quouis alio caſu ad ſuū contrariū referūtur. Vbi aduerte cōtraria huiuſmodi, quæ relata ſeu collata nuncupamus, tum intelligi quæ uerbo tenus, tum etiā quæ nō ſolùm uerbo tenus, ſed etiā ſuapte natura ad ſe mutuò referuntur. Quo circa relata hic latiùs ſe fundūt, quàm in Categoria ſuperiùs ſunt cōſtituta.

Quid priuantia.

Priuantia nominamus cùm Cicerone, quæ ſe gerunt tanquam habitus & priuatio. Appellantur ab Ariſto. Græcè ἕξις καὶ στέρησις. Eſt autem obſeruandum quòd ἕξις Græcè, habitus Latinè bifariam in præſenti libro ſit in uſu apud Ariſtotelem. Primo modo ut eſt ſpecies qualitatis, quomodo quid ſonet in prima ſpecie qualitatis explicatum eſt: alio modo in Præſenti ſumitur multò latiùs patens, ut inquam complectatur habitum prius dictum. Dicimur enim habere uirtutem: aut diſciplinā, & etiam

& etiam id quod circa corpus est ornandum uel tuendum, quo pacto amictus, nudus, armatus, & inermis dicuntur opponi tanquam habitus & priuatio. Rursus ut habitus est pars quomodo pedes habens & expes repugnant, ut habitus & priuatio. Insuper ut potentiam uim seu facultatem designat, qua significatione uisum, uel auditum habere dicitur habitus cæcitas, & surditas priuatio. Ad hæc, ut id quod habetur tanquam contentum in uase: quo sensu lagena dicitur hoc, uel illo liquore nunc plena, nunc inanis, & plures modos adhuc amplexatur sub simili norma, quatenus hic uocatur in usum nomẽ habitus. Priuari uerò tunc deniq; dicitur aliquid eorum quæ apta sunt ad aliquem habitum obtinendum, quando eo ipso habitu carent eo in loco ac tẽpore, in quo illũ debent, uel solent, uel suapte natura possunt habere. Edentulum enim appellamus quempiã, non quòd dentibus careat: & cæcũ, nõ quòd careat oculis, sed cùm nõ habeat ea tũc cùm natura apta sunt haberi. Itaq; cùm primùm editus est in lucem puer, quãuis uidere nequeat, nec dentes habeat minimè dicetur cæcus, nec edentulus. Vt uerò habitus & priuatio sibi opponuntur, dico uisus & cæcitas, ita & priuari ac habere: ut cæcum esse, & habere uisum. Disparata Cicero nuncupat ea, quorum alterum ait, alterum negat: non quidem quæ reuera sint affirmatio, uel negatio. Nec enim hìc agimus nisi de simplicibus, sed quæ ita se habent, ut alterum sit simplex, alterum uerò compositum, ex eo ipso simplici, & ex ei anteposita negatione: uulgus appellat contradicentia Aristoteles, Græcè per periphrasin exprimit, quasi dixisset Latinè simplex nomen, & nomen eius infinitum: quæ ita se gerunt, ut affirmatio & negatio, ut sedens, non sedens: sapit, non sapit: ualere, non ualere. Discriminantur autem hoc nomine disparata à reliquis tribus cõtrariorum generibus, quòd horum alterutrum necessariò sit attribuendũ: cuiuis à nobis designato indiuiduo, siue sit, siue non sit: quicquid enim animo conceperis, quod sit unum numero, uel constet in rerum natura, uel secus: alterum horum est, uel, inquam, est sedens, uel non sedens. In reliquis uerò longè aliter est, nam neq; quicquid est, est duplum uel dimidium, neq; candidum uel atrum, plurimasq; res cernimus, quæ neq; cæcæ sunt, nec uident. Quo fit, ut omnium contrariorum hæc sint, quæ inuicem maximè repugnant, quæq; abinuicem minimè distant, cũ protinus nullum sit medium inter hæc. At uerò in reliquis medium semper

Quid sint disparata.

interponitur, ut inter duplum ac dimidium interiacet sexquialterum, & sexquitertium, inter patrem & filium mediũ interest multiplex, saltem per abnegationem dictum, quod, inquam, nec est pater, nec filius: & inter contraria medium est, ut inter extremos colores cæsius, puniceus, uiror, & cæruleus color: quin etiam si contraria sint quæ medio carere dicantur: cuiusmodi sunt sanitas & morbus, medium habent in re subiecta dictum per abnegationem. Lapis enim neq; ualet, neq; morbo laborat. Vbi aduerte ualetudinem & morbum apud Aristotelem in cap. Contrariorum contraria cõstitui, quæ medio careant, quãuis Hippocrates & Galenus, & ipsemet alijs in locis secus existimauit. Bifariã enim possumus æstimare sanitatem & morbum uel oculis linceis mẽtis sanitatem appellantes quatuor humorum συμμετρίαν, id est, rectam & rationem & commoderationẽ, morbum ἀμετρίαν, id est, à recta quatuor humorum proportione iam aberrantem in commoderationem, & ita sanè ut inter rectum & curuum moderatum & immoderatum nullum est medium: ita pariter nec inter sanitatem & ægritudinem medium erit interiectum: uel perpendimus sanitatem & morbum quatenus oculis corporeis crassius discernimus, ut magna parte facit medicus, qui sensilis est artifex, quomodo haud dubiè medium est tempus inter ægrotationem, & ualetudinem, in quo iam est lapsus ab exacta sanitate, sed non tantus ut appelletur morbus, nimirum quia in functionibus animalibus uitalibus & naturalibus nihil desideramus, de quo uerba facit Aphorismus Hippocratis: Spontaneæ, inquit, lasitudines morbos prænuntiant. De quatuor igitur contrariorum differentijs diximus, reliquum est ut modos Prioris explicemus: faciunt enim hæc nõ parum ad Categoriarum, de quibus diximus, exactiorem intelligentiã.

Prius aliud alio quadrifariam dicitur, primũ quidem tempore: vt senex puero.

Alterum, à quo non retro cõmeat consequutio: quo in genere vnum duobus prius est, idq; natura prius nuncupatur.

Tertiò, ordine prius appellatur, id quod in ar

tibus

tibus, & orationibus maximè cernitur,

Deniq; in his inter quæ retro commeat vicissim consequẽtia, quod alterius causa est, seu materies, seu forma, seu efficiens, seu finis, idq; rectè prius naturæ ordine dicitur, præter quatuor modos prædictos.

Extra ea etiã quæ numerata sunt genera, quod melius est, & in maiori precio, id prius natura ordine videtur: vt anima corpo.

Doctrina hic præfixa satis intellectu facilis est, sed ex ea debemus elicere aliqua, quæ sunt apud Aristot. obseruatu dignissima. Primum omnium prius natura trifariam ab Arist. & à Porphyrio, & ab uniuersa schola usurpari. Vel enim à quo non retrò commeat consequentia, qua ratione uniuersum proprio, seu minus communi & simplex composito prius natura dicitur. Altero modo, quod suapte natura præstãtius est, prius naturæ ordine nũcupatur: nam quæ natura perfectiora, & præclariora sunt finis rationem subeunt, si ad ea, quæ se minus præstant referantur. Exemplum cernitur in forma, quæ quidẽ hoc modo prior est naturæ dignitate, quàm corpus: ut contrà corpus prius natura subsistit, quàm anima. Tertiò prius est natura, quod alterius est causa. Est autem causa quadruplex, materies, inquã, ex qua: forma, per quam: efficiens, à qua: finis, gratia cuius constat euẽtum. Colligitur etiã ex his ordinem naturæ in enarrandis doctrinis triplicem esse, uel quo proficiscimur à simplicibus ad composita, uel quo pergimus ab uniuersis ad propria, uel quo à causis ad euenta. Nã ordo naturæ, quo quidẽ à dignioribus auspicamur, sub ultimo genere cõtinetur: namq; meliora & in maiori pretio, suapte natura sunt cum aliorũ cõparatione quodammodo finis induant rationem, fit nimirum ut ad causarum ordinẽ referantur: & præter id genus hoc, prioris natura, ut autor est Arist. cap. de modis Prioris, alienissimum omnium habetur, quasi minus conueniat ad doctrinarum expositionem: in quibus non tam naturæ dignitatẽ, quàm iuuentutis utilitatem spectamus. Efficitur etiã ex his diuersis rationibus non esse incommodum quòd idem sit altero prius natura & posterius. Cùm enim animal & homo sic ad inuicem cõferantur, ut utrunq; uicissim alterius pars, ac totũ esse dicatur (id quod euenit me-

tephoricè fiet sanè ut utrūq; sit altero natura prius. Tantūdem cernitur in demonstratione, ac scientia. Est enim demonstratio scientiæ causa efficiēs, & uicißim scientia finis est demōstrationis. Vt igitur utrūq; alterius causa est, ita est & altero natura prius. Similiter indiuiduum quatenus est subiectum, priùs natura subiacet, quàm aliquid ei tribuatur: & uicißim attributum cum collatione subiecti rationem subeat formæ, priùs natura est subiecto. Quòd autem illud prius à quo nō retrò commeat argumentatio sit appellandum, natura prius argumento sunt, Aristot. & Porphyrius, qui paßim hoc nomine ostendunt unum esse altero natura prius: quòd eo sublato, tollatur alterum, non contrà. Accedit uniuersa Theologorum, Medicorū, & Philosophorū schola, quæ quidem hoc prioris genus natura prius nuncupare solet. Adde quòd ne unum quidem reperias autorem, qui secus existimarit. Deniq; nihil inuenies altero prius sub hac significatione, quin sit altero simplicius, uel magis uniuersum, uel causa. Natura uerò in suis operibus conficiendis, ut res ipsa monet, perpetuò uel à simplicibus, uel ab uniuersis, uel à causa exorditur. Prius enim comparat simplicia, quàm ex illis cōficiat aliquid: priusq; accersit causas, quàm his adminiculis edat euēta: nec non, autore natura, prius agimus personam uiuentis, quàm animalis: prius huius, quàm hominis: prius hominis, quā huius hominis. Quicquid igitur in quouis horum trium ordine antecedit, haud dubiè natura prius censendum est.

Simul autem sunt ea omnino & propriè, quorum ortus in eodem tempore est: hæc autem simul in tempore dicuntur.

Natura verò simul sunt ea quæ reciprocantur, illa quidem in argumētatione, quá si vnum sit, alterum esse concluditur: sed neutiquam alterum causa est ortus alteri, vt duplum & subduplum.

Atq; etiā ea quæ ex eodem genere quasi ex altera

tera parte diuidendo respondent, simul natura esse dicuntur: vt pennigerum, terrenum, & aquatile.

Quæ nam sint simul tempore faciliùs percipitur, quàm explicari queat. Ceterùm quia præmonuimus prius natura esse à quo non retrò cõmeat cõsequutio, & quod alterius causa est, ut interim omittam tertiam illam natura prioris significationem, quæ & alienißima dicta est ab Aristo. & sub harum altera continetur, rectè quidem simul natura dicuntur ea, quæ quidem inuicem ita reciproca sunt, ut neutrum sit alterius materia, forma, efficiens, uel finis, uel aliquid subordinatum his. Quod quidem addò de industria, quia instrumentũ opere prius est natura sub ratione causæ, subordinatur enim sub efficiente, ut autor est Aristo. 2. Physicorum. Itaq; monitor, dominus, architectus, manu operarius, subminister, & instrumẽtum, ad efficientem reuocantur: quãuis instrumentum propriè non sit efficiens, tamen subordinatur sub efficiẽtium genere, & quasi subit rationem efficientis, quandoquidem propemodum efficit. Sunt igitur simul naturà, quæ sibi reciproca sunt, & neutrum est alterius causa. Ea uerò in quæ genus distribuitur, etiam dicũtur simul natura (intellige metaphoricè) nec enim diuisionis ratio uim habet à natura, sed à nostro ingenio & instituto naturam imitante. Exemplum aßignamus cum Aristo. pennigerum, terrenum, & aquatile: in quæ animal diuiditur, ita se gerunt, ut inquam dicantur esse simul natura, id est, dictu, si conferantur cum animali nullum horum alteri causa est, ut participet naturam animalis, sed ex æquo simulq; natura, non autem unum ratione alterius fiunt participes animalis. Vbi aduerte genus animal hic diuidi in eius differentias, ex quo patet non improbandã huiusmodi generis in differentias diuisionem: quippe quæ tradita sit ab Aristo. cap. de modis simul. Ad hæc rursus obserua, quòd binarius sit prius natura ternario, ternarius quaternario, & sic deinceps: cùm tamẽ binarius & ternarius simul natura sint ac ratione, quòd inquã formæ sint, in quas exaduersũ diuiditur numerus. Itaq; binarius prius subsistit in rerũ natura, quia simplicior est: tamen simul natura participat ratiõe numeri. Nec enim ternarius propter binariũ obtinet

quò l suscipiat rationē numeri. Ex quo colligitur, quia partes diuisionis metaphoricè dictæ sunt simul natura, nō ex hoc rectè colligi, quicquid est posterius natura uno idem esse posterius natura & altero: nā si diuidatur animal in hominem & brutum, homo & brutū sunt simul natura: etsi, ut in nostro fuerit arbitrio, in hominem, equum, leonem, elephantem, & similes formas distribuatur, similiter efficietur ut homo et equus, leo & elephas sint simul natura, cùm tamen brutum, equo, leone, & elephante sit natura prius. Cùm igitur diuisionis institutio non à natura, sed à nostro dependeat arbitrio, fit profectò ut interdum hominem & brutum, interdum hominem & leonē faciamus simul natura.

Motus autē sex sunt genera, Ortus, Interitus, Accretio, & Decretio, Affectio, & Latio.

Hìc per nomen genera intelligito differentias, nec enim sunt genera nec species, etiam etsi Aristot. formas appellarit, cuius uerba hæc sunt: κινήσεως δέ ἐστιν εἴδη ἕξ, γένεσις, φθορά, αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, καὶ ἡ κατὰ τόπον μεταβολή, id est, motus species sunt sex, ortus, interitus, incrementum, imminutio, qualitatis affectio, & loci mutatio, ubi sub nomine specierum differentias intelligit. Sed est hic aduertendum cùm decem sint rerum genera, solùm in quatuor cerni motionem nempe in substātia Quantitate, Qualitate, ac Vbi. Porrò in substātia duplex est motio, una quidem quæ appellatur ortus, id est, mutatio, qua ex eo quod non simpliciter est, fit id quod simpliciter & omnino est: & interitus, hoc est, trāsmutatio ab eo quod simpliciter est, ad id quod simpliciter nō est. Accretio est à minori quātitate in maiorē, ut contra decretio à maiori in minorem transmigratio. Affectio est qualitatis in contrariam qualitatem transmutatio. Latio est à loco ad contrarium locum profectio. Exemplis hæc euadent perspicua. Hominis generatio seu productio dicitur ortus, contrà eius mors interitus: incrementum quod subit per ineuntem ætatem accretio decrementum quo senectutis iniuria, partes introrsum retrahuntur decretio. Est autē affectio ut calfactio, frigefactio. Latio, ut motus, quo sursum conscendimus: uel deorsum descēdimus, uel antrorsum pergimus, uel retrocedimus, uel dextrorsum, uel sinistrorsum ferimur, uel quo quidpiā in orbem circunfertur. Distant autem ortus & interitus.

eritus à reliquis hoc nomine, quòd ortus & interitus cernantur in illis contrarijs, quæ cum Cicerone disparata nuncupabimus, quæq; schola cõtradicentia uocat, reliqui motus inter aduersa, quæ uulgus scholæ contraria nominat, semper fiant: ut hominis ortus transmigratio est, à non homine ad hominem: quorum alterum est tanquam affirmatio, alterum tanquam negatio. At accretio qua quidpiã ex paruo magnum fit inter cõtraria intercipitur: quorum utrũq; aliquid affirmat, uel alteri omnino aduersum, uel quòd aduersi analogiam induat: omnino aduersa sunt calor & frigus, aduersorũ rationem analogicè præse ferunt magnum & paruum. Est autem motioni, quæ inter aduersa intercipitur geminum obiectum contrarium, aduersa inquam illi motio unum est, alterum autem est quies: ut motui sursum tendenti duplex cõtrarium correspondet, & motus quo res decurrit deorsum, & inferna quies, à qua motus ad cõtrariam quietem proficiscitur. In omni mutatione tria obseruamus, initium à quo incipit, finem ad quem spectat, quæ semper sibi repugnantia sunt: tertio loco subiectum cernimus, quod inquam à repugnantium, altero transmigrat ad alterum: ut in aquæ calfactione frigiditas est initium à quo prodit commutatio, finis calor ad quem comparandum destinatur ipsa calfactio: subiectum est aqua, nimirum quia prius frigori postea tandem calori subijcitur.

Habendi etiam genera sunt plurima, vel enim habere dicimur qualitatem: vt virtutem, vel quãtitatem, vt quatuor cubita: vel corporis amictum, vt togam, vel ornatum vt inaures, vel partem vt manum, vel tanquam in vase vt modius triticum, vel possessionem veluti agrum, vel vt vir mulierem, quæ significatio verbi habere, vna ex omnibus alienissima est.

Ex his habendi generibus, solùm in Categoria reponimus modũ habendi, pertinentem ad ornatum: & alterũ, qui spectat ad corpus tuendũ. Itaq; habere annulum, tunicã'ue, sub primo genere: habere uerò ensem,

galeam

galeam, thoracem, sub altero constituimus. Et hæc in summa sunt, quæ proposuimus explicanda, instituendæ iuuētuti quantùm attinet ad Categorias Aristo. nunc ad ea quæ postulat liber de Interpretatione nostram operam conuertamus.

Quando tradita sunt simplicia subiecta, & attributa in decem Categorijs, iam res postulat, vt nostrum institutum circa simplicia verſetur pronunciata, in quibus solùm cernitur verum, & falsum.

Mentis quidem interpres, est oratio, scripta orationis.

Quo circa perceptioni animi ei, quæ à uero, & falso abest, nomina, & verba respondent: ei verò, quæ veri, & falsi particeps est, affirmatio, & negatio.

Diximus hactenus de simplicibus nominibus rerum, nunc res postulat ut ad pronunciata nos conferamus: in quibus tractandis, ut naturæ ac doctrinæ ordine nos exordiamur à simplicibus primum omnium constituendum est quid sit nomen, quid uerbum, tum quid negatio & affirmatio, postremò quid enunciatio & oratio. Atq; ut id fiat studiosius quatuor primum omnium sunt à nobis conferenda: dico quidem animi sensa, res, uoces, & scripta. Inter quæ hoc interest, quòd animi sensa: quorū primùm uerba notæ sunt & res, quarū sensus animi speciem gerunt, idē apud omnes ualeant, literis uerò & uocibus non eisdem utantur. Sunt enim animi sensa rerum imagines suapte natura res, quarum sunt imagines repræsentantes: uoces autem & scripta non suapte natura, sed ex hominum instituto significant. Quo fit ut uario mortaliū instituto uoces & scripta uariam subeant, & sui paßim dißimilem significationis rationem. Cùm autem sit mentis interpres oratio & scripta orationis, perinde atq; in animo gemina est notitia: una quidem ueri & falsi expers, ut homi-

ut hominis notio: altera, quæ compositio est, uel diuisio, seu si mauis coniunctio, seu disiunctio, in qua consistit uerum & falsum. Ita etiam respondent in uoce nomina & uerba, in quibus sigillatim nec uerum, nec falsum enunciatur, & altera ex parte pronunciatum, id est, affirmatio, uel negatio, in qua cernitur uerum, uel falsum. Id enim est affirmatio in uoce, quod coniunctio in mente: id in uoce pronunciatum, quod in mente existimatio. utq; simplex notio, mente percipitur, ita nomē uel uerbum ore pronuntiatur. Conflatur autem pronunciatum ex nomine & uerbo: nomen materiei partes agit, uerbum formæ. utq; materies prius præiacet, deinde uerò accedit forma, ita in moliendo pronunciato primùm accersitur nomen, deinde hoc uel illud pronunciatum tribuitur. Naturam igitur ducem imitando, primùm explicemus quid nomen, deinceps quid uerbum, subinde quid oratio, posteà quid enunciatio.

Nomen igitur vox est ex instituto significans, omnis expers temporis: cuius pars nulla quicquā declarat separatim.

ὄνομα Græcè, nomen Latinè, uox est significans ex hominum instituto sine temporis differentia: cuius nulla pars declarat aliquid separatim, ut hoc nomen Republica nomen est, quandoquidem est uox nō mentis notio, neq; scriptum, præter id ex instituto significat: non ut latratus canum, & gemitus infirmorum, qui non arbitrio humano, sed autore natura destinati sunt ad aliquid deſsignandum: Ad hæc, id obtinet sine temporis differentia, nec enim nomen præter principale significatū unā consignificat ex tribus temporis differentijs, dico instantem, elapsam, uel futuram, ut euenit in uerbo. Itaq; nomen dies, nomen annus, tempus quidem præcipuè significat: non tamen dicitur significare cum tēpore, quia præter principale significatum nullam temporis differentiam adsignificat, uel si mauis consignificat. Deniq; nomen Republica ita se gerit, ut eius partes uideantur quidem aliquid separatim declarare, sed quatenus partes huius dictionis factæ sunt tanquam elementa mera considerantur, reueraq; separatim in hoc toto sumptæ nihil annotant omnino. utimur enim nomine composito tanquam simplici, nam simplicia, ex quibus conficitur propriam exuunt significationem, totamq; omnino subministrāt composito, fuit enim hoc excogitatum propter simplicis inopiā.

Atq; ita eo nos utimur tanquam dictione omnino simplici. Superaddit Aristoteles duas particulas in prædicta finitione subintelligendas, nempe finita, & recta: siquidem præter ea quæ diximus nomini tribuenda, simul efflagitamus quod sit finitum, ut excludantur nomina infinita, & rectum, ut secernantur obliqui casus. Infinitum nomen appello, quod ex nomine & anteposita negatione constat: ut nonhomo, nonlignum. Hæc enim tantum abest ut sint nomina rerum, quòd potiùs nominum sint abnegationes. Aristoteles nomen, inquit, infinitum appelletur quod æquè in quauis re dicatur, tam quæ est, quàm quæ nulla est: quandoquidem & uerè dicimus de leone qui est, ac de leone qui non est, seu de homine qui minimè constat, quod sit nomen: tum enim uera est hæc, leo est nonhomo, tum etiã & hæc, Adamus est nonhomo. Vbi aduerte in huiusmodi pronunciatis, in quibus nomen infinitum tribuitur ei, quæ non est perpetuò uerbum est solùm usurpari ea significatione, qua significat meram extremorum cohærentiã, sine temporis differentia, eaq; posita significatione, qua significare solet esse, ut currit, currere: sedet, sedere, quomodo non est tertium adiacens, alioqui hæc esset falsa: Adamus est nonhomo, & quæuis alia similis. Porrò Ciceronis Ciceroni cætera eiusdem generis placuit Aristoteli, ut non nomina, sed casus nominum nuncupentur: huius hæc ratio est, quòd cùm alia omnia sint eis cognomine communia, cuncta tamen uerbo est uel erit, nec uerum, nec falsum significant, quod semper cernitur in ipso nomine. Nam si pronunties, Ciceronis est, uel nõ est, nisi quicquam aliud subnectas, uel subintelligas, nondum quicquam uerè falsòue dicitur: sed si efferas, Cato est, iam percipimus necessariò fore uel uerum, uel falsum. Vt igitur in summa dicam, ut aliquid sit nomen hæc omnia exigimus, primùm quidem quòd sit uox, deinde quòd ex instituto significet, tertio loco quòd minimè adsignificet tẽpus, ad hæc quòd eius pars nulla quicquam declaret separatim, necnon quòd sit finita, demum quòd recta. Ex his efficitur eos hallucinari, qui putant in mente nomen esse maximè omnium appellandum, secundo loco in uoce, quandoquidem præter sententiam Aristotelis ratio conuincit, nam experientia docet, notionem huic uoci homo respondentem in mente non appellari nomen, quo aliquid nominemus. sed quæ à uero & falso abest simplicẽ animi perceptionem, seu conceptionem, seu notionem: & nõ secus quàm homo depictus, pictus quidem est homo, sed non est homo simpliciter, non inquã

Appendix.

secus

secus scriptum, quod interpretatur hanc uocem, homo non est nomen: sed sanè dicetur nomen scriptum. Sed obijcies, omnis uox est à natura, omne nomen est uox, omne igitur nomen est à natura. nullum igitur nomen est ex hominum instituto. Respondeo, bifariam nomen expẽdi posse, uel quatenus uox est, uel quatenus aliquid significans: quo uox est sanè id obtinet à natura, sed quo significans dependet ab hominum instituto. Obiectio. Dilutio.

Verbum autem est id, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperq́; ea declarat & indicat, quæ de altero dicuntur.

Ῥῆμα Græcè uerbum, Latinè est uox, quæ quidem adsignificat tẽpus, cuius nulla pars seiuncta significat, & est semper signum eorum, quæ de altero dicuntur. In qua finitione pariter atq; in præcedenti subintelligendum est finita & recta. Primùm igitur oportet quòd sit uox ad secernenda animi sensa & scripta, perinde atq; diximus in explanatione nominis: est enim quantum ad hoc similis in utroq; ratio. Secundo loco postulamus ut aliquam temporis differentiam adsignificet, id est, præter principale significatum aliquam trium temporis differentiarum consignificet. Addimus, cuius pars nulla significat separatim, quod eodẽ sensu perpendere ac explanare debemus: quo usi sumus in enodanda & aperienda nominis finitione. Quod autem subiungitur sub his uerbis, semperq́; ea declarat & indicat, quæ de altero dicuntur, eò referendũ est, ut uerbum in pronunciato semper esse notam intelligamus, siue signum indicans, seu designans aliquid quod subiecto tribuatur. Cùm enim tribus partibus constet enunciatio, subiecto, copula, & attributo: nomen quidem subiecti, uerbum uerò copulæ magna parte uices gerit. Finita dixi, quò secludantur, non curatur, non incidit, & reliqua eiusdẽ farinæ, quæ non sunt apud Aristotelem uerba, sed uerba infinita, quandoquidem tam in eo quod est, quàm in eo quod non est, æquè dicuntur. Recta superadditur, ad ostendendum maximè propriè curabitur, & curatus est, non esse habenda uerba, sed casus uerbi: nam præsentis temporis uerbum esse oportet, ut sit maximè tale: præteritum uerò & futurum casus dicũtur obliquè deriuati à uerbo, magis, quàm uerba. Addidi, maximè propriè, quia. 6. cap. libri de Interpretatione docet Aristo. fuit, erit, uerba

esse. Quo fit ut uerbum præsens solùm sit quod maximè propriè sit uerbum appellandum. Præteritum autem & futurum uerba tamen sint, sed non maximè propriè. Sunt autem uerba, si sola quidem efferantur instar nominum, significant enim aliquid simplicemq; in animo intelligentiam imprimunt. Circa quod aduerte, uerbum est, triplicem gerere significationem, primam qua significat esse, ut sapit sapere, alget algere. qua quidem perinde atq; nomen ab Aristo. dicitur aliquid significare. Altera quidem est, qua temporis differentiam hanc, uel illam, consignificat. Postrema est significatio, qua nota & signum esse dicitur eorum, quæ de altero dicuntur. Est enim significans quãdam connexionem, & cohærentiam extremorum, qua nunciat sanè conuenire inter attributum & subiectum, atqui uerbum est interdum ponit seu exuit duas harum significationum, tertia sola retenta. Nã in omnibus pronũciatis quæ (ut dicimus in scholis) in materia cernuntur necessaria, & in quibus nomen infinitũ Aristoteles inquit, uerè dici de re quæ non est, nimirum euenit ut uerbũ est absoluatur à tempore præsenti, & ab ea significatione, qua significat esse, solumq; nobis indicet extremorum cognitionem. Itaq; si roges à me quid sit ecclipsis: respondeo, est inquã terræ interpositio inter solem & lunam. Profectò uerbum est, solam notat connexionem extremorum, non autem significat in præsenti esse, alioqui falsa esset huiusmodi enunciatio, in qua finitio dicitur de finito. Pariter hæc, Adamus est non homo, in qua nomen infinitum tribuitur ei, quod non est, uera censetur ab Aristotele, quod minimè constare potest, nisi tum à prima, tum à secunda significatione absolutum solam extremorum cohærentiam significet. Vbi uerò trinam circunfert significationem, tum dicitur secundum uel tertium adiacẽs, quia significat esse in præsenti adiacere subiecto, diciturq; secundum adiacens in hac, Adamus est, in hac uerò, Adamus est non homo, tertium adiacens. Atq; ita docuit Aristo. 6. cap. libri de Interpretatione, consecutionem ab est tertio adiacẽte ad idem factum, secundum adiacens, fixam esse atq; constantem. ut si colligerem sub hac forma: Adamus, inquã, est non homo: ergo Adamus est. & in quibusuis alijs dißimilibus similiter collectionem ratam efficiam. Illud præterea nos non præterfugiat, in mente non esse uerbum, ut nec nomen est, nec enunciatio, ut præmonuimus, & scriptum uerbum scribi & pingi: non tamẽ quod simpliciter sit uerbum. Nec illud nos prætereat, quod admonuimus agentes

de

de nomine, scilicet peculiare munus esse uerbi consignificare tempus, hoc est, præter principale significatum, deßignare differentiam aliquã temporis. Ex quo efficitur quòd nomen tempus, dies, hora, tempus quidẽ dicatur significare: adsignificare uerò, seu consignificare, nimimè. Nec debemus intermittere hoc in loco, quòd uerbum adiectiuum duo includat, copulam inquam, est & proprium participium: cùm uerò aimus, non curatur uerbum esse infinitum, ita debemus intelligere, ut id non fiat ratione copulæ negatæ, quæ simpliciter non significat aliquid: sed ratione abnegati participij, qua parte uerbum tanquam nomen est.

Oratio est vox, quæ significat, cuius pars aliqua seiuncta, separataq́, vt nomen, non vt affirmatio, & negatio, significat: vt homo musicus.

Quanquam autem ex instituto, quemadmodũ dixi, non vt instrumentũ omnis significat oratio: non tamen omnis enuntiatio est, sed ea sola, quæ vel verum, vel falsum complectitur.

λόγος Græcè, Latinè oratio in præsenti loco dicitur: nam λόγος Græcè interdum idem est atq; ratio, siue intelligentia: interdum usurpatur pro finitione: interdum ut in præsenti cõsideratione idẽ sonat atq; oratio, ut cap. de oratione, ad quod nunc alludimus, utitur Arist. Est autem inquit, uox ut secludat animi sensa, & scripta, & reliqua, quæ non sunt uoces, in quibus etsi eueniat ut aliquid orationis munere fungatur, nihil minus tamen quàm oratio est, ut ramus pendens ante tabernam, orationis uicem gerit, non tamen oratio est: quippe cùm non sit uox. Addimus, quòd sit significans, ad excludẽdas eas, quæ sunt significationis expertes. Deinde superadditur, cuius pars aliqua seiuncta separataq; non ut affirmatio, & negatio, sed ut dictio significat, quò discriminetur à nomine, & uerbo: cuius partium nulla est significans separata. Est enim oratio cõstans ex duabus, tribus, uel pluribus dictionibus, duplicemq́; subit differẽtiam: una quidem est perfecta, & altera imperfecta. Perfecta, quæ perfectum sensum inserit in animo auditoris: imperfecta, quæ inchoatum, &

abruptũ. Perfecta subdiuiditur in indicatiuã, imperatiuam, & cæteras. Harum sola, quæ indicantis est modi, uerum uel falsum complectitur, solaq; ob id enunciatio dicitur. Enunciatio, enunciatum, effatum, pronunciatum, idem. Constat autẽ omnis enunciatio subiecto, copula, & attributo. Subiectum materiei faciem induit, formæ uerò uices gerit prædicatum seu attributum, si adinuicem conferantur: si uerò ambo ad copulam referantur, materiei analogiam subeunt, ut copula formæ. Enunciationis duæ sunt partes, affirmatio, & negatio: affirmatio, qua unum alteri tribuitur, ut homo est animal. Negatio, qua unum abnegatur ab altero, ut homo non est equus. Atqui omnis enunciatio est uera, uel falsa. Vera, quæ ita significat atq; reuerà est, ubi uerbum est absoluitur à tempore, hoc est dictu, enunciatio uera quæ significat ita fuisse atq; fuit, ita esse atq; est. uel ita fore atq; futura est. Est etiam enunciatio item duplicem subiens differentiam, una enim est simplex, altera coniunctione una: exẽpli gratia. Simplex est, homo est probus, quandoquidem simplici constat subiecto, copula, & attributo. Vna coniunctione dicitur enunciatio, quæ simplicibus ex pronunciatis conficitur coniunctione cohærentibus, ut homo est aptus ad capessendam disciplinam, & ob id est idoneus ad Deum cognoscendũ. Cæterùm hoc loco debemus obseruare coniunctione unã enunciationẽ, uel coniunctione copulante, uel disiungẽte, uel uulgò dicta, conditionali, uel rationali, præditam. Porrò quæ copulante constat coniunctione, ut uera sit, hoc postulat, ut inquam unaquaq; enunciatio simplex, ex qua coalescit, sit uera: ut uerò sit falsa sufficit unam simplicem enunciationem esse falsam. Itaq; hæc est uera, homo est rationis particeps, & equus est rationis expers: hæc falsa, homo est omnium animaliũ sapientißimum, & idem est probißimum. Eius uerò cuius partes disiunctiua connectuntur coniunctione, una pars uera totam efficit ueram: ut uerò sit falsa utramq; partem efflagitamus falsam. Est itaq. uera hæc. lignum uel est candidum, uel secus: hæc falsa, uniuersum est notio, uel idem est uox, cõditionalis uulgò dicta, propriè nec est uera, nec falsa nisi catenus, quatenus æquiualet bonæ, uel malæ consecutioni, quandoquidem hæc, si sol lucet, dies est, cùm æquiualeat consecutioni, quæ suapte natura constans est. dico huic sol lucet, ergo dies est: uera quidẽ esse dicitur, hæc uerò, si dies est splendore fruimur. falsa, cùm ei correspõdeat inconstans consequentia. Rationalis pariter est uera, quia constantis ar

gumen

gumētationis legem obſeruat, ut quia Socrates eſt probus, nemini facit iniuriā. Habes quo iudicio diſcernere debeas uerū à falſo in omni pronunciatorum genere. Conſtat omnis enūciatio ex uerbo, uel ex caſu uerbi. Quoniam autem res partim uniuerſæ ſunt, partim ſingulæ, ut Ariſto. 4. cap. lib. de Interpretatione docuit, efficitur quidem ut enunciationum duplex ſuboriatur differentia. Eſt enim una, cuius ſubiectum eſt uniuerſum, ut hæc, homo eſt animal: altera, cui ſubiectum eſt ſingulare, ut hæc, Socrates eſt albus. Atqui ea, quæ prædita ſubiecto communi quatuor generibus repugnantium, ſeu oppoſitarum eſt obnoxia, de quibus iam res poſtulat ut nos diſſeramus.

Oppoſitæ ſunt enunciationes, quæ quidem eodem ſubiecto, copula, & attributo participant, cum vel qualitate, vel quantitate, vel harum vtraque repugnant.

Qualitatem cum ſchola, propter terminorū artis penuriam, ne diſcedamus ob id à veritatis ſtudio, vocamus eam affectionem, qua cernitur enunciatio aiens eſſe, vel negans.

Quantitas in hoc cernitur, vt inquam enuntiatio ſit, vel vniuerſa, vel particularis, vel infinita, vel ſingularis.

Vniuerſa & vniuerſalis enunciatio, & quæ in toto eſt idem: vt omnis homo eſt animal: Diciturque vniuerſa hoc nomine, quòd eius ſubiecto communi præfigatur nota vniuerſi generis.

Nota vniuerſa, nota generis vniuerſi, apud Pe

rionium

rionium, & signum vniuersale in scholis idem: cuiusmodi sunt, omnis, nullus, & similes, quæ terminum, cui adhibentur, cùm sit vniuersum, designãt vniuersè vsurpari.

Particularis dicitur enunciatio, cuius subiecto communi præfigitur nota particularis: huiusmodi est, quidam homo est candidus.

Infinita, seu indiffinita, est cuius, inquam, subiecto communi neutra præfigitur nota, neq; vniuersalis, neq; particularis: vt homo est probus.

Singularis est, cuius subiectum est indiuiduum: vt hic homo est musicus.

Quale, rogat an sit, aiens enunciatio, an secus.

Quantum, an sit vniuersa, an particularis, an sit infinita percontatur.

Quod attinet ad veritatem discernendam, vt vniuersa sit vera, necesse est vt attributum reuera in vnoquoq; subiecti significatorum ita insit, aut non insit, atq; sonat enunciatio.


Ut verò particularis, vel infinita sit vera, solũ hoc efflagitamus: vt saltem in vno significato subiecti ita congruat attributum vt præ se fert enunciatio.

Infin-

Infinita interdum quidem vniuersæ, interdum verò particularis personam gerit: vt in tradendis doctrinis rationem induit vniuersalis, eius autem quæ in parte, paßim.

Ἀντιτίθεσθαι & ἀντικεῖσθαι, id est, opponi dicuntur pronunciata eiusdem subiecti, eiusdem copulæ, eiusdem attributi: quorum unum est aiens, alterum negans: uel unum uniuersale, alterum particulare. Schola qualitate repugnantes appellat aientem & negantem, quantitate, uniuersalem & particularem, subintelligit enim schola sub hac infinitam. Estq; boni cõsulendum in præsentiarum, quòd his utamur terminis, qualitas, quãtitas, particulare, minus usitatis apud Ciceronem: quandoquidem usus scholæ diu à Theologis & Medicis confirmatus, & iuuentutis utilitas id efflagitat. Ita enim instituimus, ut magis incumbamus studio instruendæ iuuentutis, quàm exquisitiùs colendi sermonis: præsertim cùm nullum suppetat uocabulum, quo utamur horum loco, & elegantiùs & iuuentutis frugi, quam ante omnia uenamur oportuniùs. Dixi ut enunciationes dicantur oppositæ, ut eodem participent subiecto, copula & attributo: ut excludantur, homo est iustus, homo non est candidus: Canis est in mari, canis non est in cœlo, & reliqua istius farinæ: in quibus non est idẽ subiectum, copula, & attributum. Vt autem sint oppositæ, ut inquit textus, pugnare debent, uel qualitate sola, ut contrariæ ac subcontrariæ: uel sola qualitate, ut subalternæ: uel tum qualitate tum quantitate, ut contradictoriæ seu contradicentes. Distribuuntur enim oppositæ ab Aristotelis expositoribus in quatuor hæc genera, suntq; cõtrariæ oppositæ: quarum una est uniuersalis aiens, altera uniuersalis negans, ut omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus. Subcõtrariæ sunt oppositæ, quarum utraq; quidem est in parte, una uerò negans, aiens altera, ut quidam homo est bene meritus de Repub. quidam homo non est bene meritus de Repub. Subalternæ dicuntur oppositæ, quæ quidem sunt eiusdem qualitatis, sed aduersæ quantitatis: ut omnis homo est cõditus ad felicitatem, & quidam homo est conditus ad felicitatem. Appellantur autem subalternæ id genus oppositæ, quia inuicem alternis uicibus utraq; alterius est antecedens & consequens: quãdoquidem ex uniuersa uera rectè col-

ligimus particularem esse ueram, & ex falsa uiceuersa particulari necessaria consequutione conuincimus uniuersam esse falsam, ut rectè quidem efficitur ex eo quòd hæc sit uera, omnis homo est animal: quòd hæc etiam & uera sit, quidam homo est animal. & ex aduerso, si hæc sit falsa, quidam homo est iustus. ergo & hæc, omnis homo est iustus. Cōtradicentes, seu, ut inquit Perionius, oppositæ contradictorio modo, seu ut schola cōtradictoriæ sunt oppositæ, quæ tū qualitate, tum quātitate pugnāt: ut omnis homo est rationis cōpos, & quidā homo nō est rationis compos. Ego uerò nō uideo qua ratione Perion. ducatur ad appellādas cōtradicentes, disparatas, seu repugnātes, cùm nec Cice. quē solet maximè imitari, nihil minus fecerit, & horū uocabulorū uis nō minus quadret cōtrarijs, quàm cōtradicētibus. magis enim sibi repugnāt hæ, omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus: quàm illæ, omnis homo est iustus, & quidam homo non iustus. Quibus efficitur præstabilius esse in præsentiarum uti proprijs nominibus in schola usitatis, quàm alienis ab usu Philosophorum, & rei ueritati, quam exprimere ante omnia Philosophi conātur parum accōmodatis. Sed harū quatuor, quæ in oppositis cernūtur, formarum subiectam descriptionem cōsule: hæc enim omnia, quæ circa hæc iam dudum præcepimus, tibi aperiet.



Leges Latinè, κανόνες Græcè oppositarum ita se gerunt, ut cōtraria possint interdum esse simul falsæ: nunquam tamen simul uera. Contrà subcontrariæ possunt esse simul ueræ.

ueræ, nunquam autem simul falsæ. Subalternæ interdum ueræ reperiuntur, interdum falsæ. Contradicentes neq; possunt esse simul falsæ, ex quibus regulæ deriuantur, quæ formulas argumentandi subministrant.

Contrariarum si una sit uera, necessariò efficietur alterã esse falsam. Prima regula.

In contrarijs si una deprehenditur falsa, consequitur alteram esse ueram. 2. Regula.

Ex subalternarum uniuersa uera, efficitur particularem esse ueram. 3. Regula.

Subalternarum falsa si sit quæ in parte, continuò consequitur eam, quæ in toto, esse falsam. 4. Regula.

Contradicentium ex alterutra uera, colligimus alteram falsam: & ex alterutra falsa, alteram ueram. 5. Regula.

Porrò quantum ad leges attinet infinitæ, etsi nonnunquam, quod superius monuimus, uniuersæ sumantur, nonnunquam sensu particularis usurpentur: nulla tamẽ lege obstringũtur, quàm ipsæ particulares. Itaq; ad hanc ueram ostendendam, homo est iustus, sufficit ut saltem unus ostẽdatur homo, qui reuera sit iustus.

Diximus hactenus de pronunciatis, quorum subiectum est uniuersum, nunc de illis dicamus, quæ quidem ex singulis constant. In his igitur quãtum ad uerum & falsum attinet, eadem seruanda est lex, atq; in contradicentibus: ut hæ, Socrates est albus, & Socrates non est albus & quæuis eiusmodi, quæ constẽt eodem subiecto, copula, & attributo, & qualitate pugnent. Neq; enim simul possunt esse ueræ, neq; simul esse falsæ. Quò fit ut si una sit uera, oporteat alteram esse falsam: & ex utraq; falsa, ueram alteram esse colligamus. Vbi uerò in quatuor generibus oppositarum finiendis adhibuimus genus, primum omnium aientes, quòd sint oppositæ sub hoc nomine debes aduertere, ut quæuis harum esse debeant eiusdem subiecti, copulæ, ac attributi: alioqui neq; ualent esse contrariæ, neq; subcontrariæ, neq; etiam contradicentes. Nec illud nos prætereat, enunciationes, quas Aristo. Græcè appellat τὰς ἀντικειμένας, quasq; Latinè uocamus oppositas, ab Aristo. sub gemina differentia solùm distributas; alteras enim, inquit, opponi contradictorio modo, alteras uerò contrario sub his uerbis, ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν ἀποφάσει λέγω ἀντιφατικῶς τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου. οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς οὐ πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς οὐδεὶς ἄνθρωπος λευκός, ἔστι τις ἄνθρωπος λευκὸς ἐναντίως δὲ τὴν τοῦ καθόλου κατάφασιν καὶ τὴν τοῦ καθόλου ἀπόφασιν οἷον πᾶς ἄνθρωπος δίκαιος οὐδεὶς ἄνθρωπος δίκαιος. *id est, opponi quidem igitur affirmationẽ*



galeam, thoracem, sub altero constituimus. Et hæc in summa sunt, quæ proposuimus explicanda, instituendæ iuuētuti quantùm attinet ad Categorias Aristo. nunc ad ea quæ postulat liber de Interpretatione nostram operam conuertamus.

Quando tradita sunt simplicia subiecta, & attributa in decem Categorijs, iam res postulat, vt nostrum institutum circa simplicia versetur pronunciata, in quibus solùm cernitur verum, & falsum.

Mentis quidem interpres, est oratio, scripta orationis.

Quo circa perceptioni animi ei, quæ à uero, & falso abest, nomina, & verba respondent: ei verò, quæ veri, & falsi particeps est, affirmatio, & negatio.

Diximus hactenus de simplicibus nominibus rerum, nunc res postulat ut ad pronunciata nos conferamus: in quibus tractandis, ut naturæ ac doctrinæ ordine nos exordiamur à simplicibus primum omnium constituendum est quid sit nomen, quid uerbum, tum quid negatio & affirmatio, postremò quid enunciatio & oratio. Atq; ut id fiat studiosius quatuor primum omnium sunt à nobis conferenda: dico quidem animi sensa, res, uoces, & scripta. Inter quæ hoc interest, quòd animi sensa: quorū primùm uerba notæ sunt & res, quarū sensus animi speciem gerunt, idē apud omnes ualeant, literis uerò & uocibus non eisdem utantur. Sunt enim animi sensa rerum imagines suapte natura res, quarum sunt imagines repræsentantes: uoces autem & scripta non suapte natura, sed ex hominum instituto significant. Quo fit ut uario mortaliū instituto uoces & scripta uariam subeant, & sui paßim dißimilem significationis rationem. Cùm autem sit mentis interpres oratio & scripta orationis, perinde atq; in animo gemina est notitia: una quidem ueri & falsi expers, ut homi-

ut hominis notio: altera, quæ compositio est, uel diuisio, seu si mauis coniunctio, seu disiunctio, in qua consistit uerum & falsum. Ita etiam respondent in uoce nomina & uerba, in quibus sigillatim nec uerum, nec falsum enunciatur, & altera ex parte pronunciatum, id est, affirmatio, uel negatio, in qua cernitur uerum, uel falsum. Id enim est affirmatio in uoce, quod coniunctio in mente: id in uoce pronunciatum, quod in mente existimatio. utq; simplex notio, mente percipitur, ita nomē uel uerbum ore pronuntiatur. Conflatur autem pronunciatum ex nomine & uerbo: nomen materiei partes agit, uerbum formæ. utq; materies prius præiacet, deinde uerò accedit forma, ita in moliendo pronunciato primùm accersitur nomen, deinde hoc uel illud pronunciatum tribuitur. Naturam igitur ducem imitando, primùm explicemus quid nomen, deinceps quid uerbum, subinde quid oratio, posteà quid enunciatio.

Nomen igitur vox est ex instituto significans, omnis expers temporis: cuius pars nulla quicquā declarat separatim.

ὄνομα Græcè, nomen Latinè, uox est significans ex hominum instituto sine temporis differentia: cuius nulla pars declarat aliquid separatim, ut hoc nomen Republica nomen est, quandoquidem est uox nō mentis notio, neq; scriptum, præter id ex instituto significat: non ut latratus canum, & gemitus infirmorum, qui non arbitrio humano, sed autore natura destinati sunt ad aliquid designandum: Ad hæc, id obtinet sine temporis differentia, nec enim nomen præter principale significatū unā consignificat ex tribus temporis differentijs, dico instantem, elapsam, uel futuram, ut euenit in uerbo. Itaq; nomen dies, nomen annus, tempus quidem præcipuè significat: non tamen dicitur significare cum tēpore, quia præter principale significatum nullam temporis differentiam adsignificat, uel si mauis consignificat. Deniq; nomen Republica ita se gerit, ut eius partes uideantur quidem aliquid separatim declarare, sed quatenus partes huius dictionis factæ sunt tanquam elementa mera considerantur, reueraq; separatim in hoc toto sumptæ nihil annotant omnino. utimur enim nomine composito tanquam simplici, nam simplicia, ex quibus conficitur propriam exuunt significationem, totamq; omnino submini strāt composito, fuit enim hoc excogitatum propter simplicis inopiā.

Atq; ita eo nos utimur tanquam dictione omnino simplici. Superaddit Aristoteles duas particulas in prædicta finitione subintelligendas, nempe finita, & recta: siquidem præter ea quæ diximus nomini tribuenda, simul efflagitamus quod sit finitum, ut excludantur nomina infinita, & rectum, ut secernantur obliqui casus. Infinitum nomen appello, quod ex nomine & anteposita negatione constat: ut nonhomo, nonlignum. Hæc enim tantum abest ut sint nomina rerum, quòd potiùs nominum sint abnegationes. Aristoteles nomen, inquit, infinitum appelletur quod æquè in quauis re dicatur, tam quæ est, quàm quæ nulla est: quandoquidem & uerè dicimus de leone qui est, ac de leone qui non est, seu de homine qui minimè constat, quod sit nomen: tum enim uera est hæc, leo est nonhomo, tum etiã & hæc, Adamus est nonhomo. Vbi aduerte in huiusmodi pronunciatis, in quibus nomen infinitum tribuitur ei, quæ non est perpetuò uerbum est solùm usurpari ea significatione, qua significat meram extremorum cohærentiã, sine temporis differentia, eaq; posita significatione, qua significare solet esse, ut currit, currere: sedet, sedere, quomodo non est tertium adiacens, alioqui hæc esset falsa: Adamus est nonhomo, & queuis alia similis. Porrò Ciceronis Ciceroni cætera eiusdem generis placuit Aristoteli, ut non nomina, sed casus nominum nuncupentur: huius hæc ratio est, quòd cùm alia omnia sint eis cognomine communia, cuncta tamen uerbo est uel erit, nec uerum, nec falsum significant, quod semper cernitur in ipso nomine. Nam si pronunties, Ciceronis est, uel nõ est, nisi quicquam aliud subnectas, uel subintelligas, nondum quicquam uerè falsóue dicitur: sed si efferas, Cato est, iam percipimus necessariò fore uel uerum, uel falsum. Vt igitur in summa dicam, ut aliquid sit nomen hæc omnia exigimus, primùm quidem quòd sit uox, deinde quòd ex instituto significet, tertio loco quòd minimè adsignificet tẽpus, ad hæc quòd eius pars nulla quicquam declaret separatim, necnon quòd sit finita, demum quòd recta. Ex his efficitur eos hallucinari, qui putant in mente nomen

Appendix. esse maximè omnium appellandum, secundo loco in uoce, quandoquidem præter sententiam Aristotelis ratio conuincit, nam experientia docet, notionem huic uoci homo respondentem in mente non appellari nomen, quo aliquid nominemus. sed quæ à uero & falso abest simplicẽ animi perceptionem, seu conceptionem, seu notionem: & nõ secus quàm homo depictus, pictus quidem est homo, sed non est homo simpliciter, non inquã

secus

secus scriptum, quod interpretatur hanc uocem, homo non est nomen: sed sanè dicetur nomen scriptum. Sed obijcies, omnis uox est à natura, omne nomen est uox, omne igitur nomen est à natura. nullum igitur nomen est ex hominum instituto Respondeo, bifariam nomen expēdi posse, uel quatenus uox est, uel quatenus aliquid significans: quo uox est sanè id obtinet à natura, sed quo significans dependet ab hominum instituto. Obiectio. Dilutio.

Uerbum autem est id, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperq; ea declarat & indicat, quæ de altero dicuntur.

Ῥῆμα Græcè uerbum, Latinè est uox, quæ quidem adsignificat tēpus, cuius nulla pars seiuncta significat, & est semper signum eorum, quæ de altero dicuntur. In qua finitione pariter atq; in præcedenti subintelligendum est finita & recta. Primùm igitur oportet quòd sit uox ad secernenda animi sensa & scripta, perinde atq; diximus in explanatione nominis: est enim quantum ad hoc similis in utroq; ratio. Secundo loco postulamus ut aliquam temporis differentiam adsignificet, id est, præter principale significatum aliquam trium temporis differentiarum consignificet. Addimus, cuius pars nulla significat separatim, quod eodē sensu perpendere ac explanare debemus: quo usi sumus in enodanda & aperienda nominis finitione. Quod autem subiungitur sub his uerbis, semperq; ea declarat & indicat, quæ de altero dicuntur, eò referendū est, ut uerbum in pronunciato semper esse notam intelligamus, siue signum indicans, seu designans aliquid quod subiecto tribuatur. Cùm enim tribus partibus constet enunciatio, subiecto, copula, & attributo: nomen quidem subiecti, uerbum uerò copulæ magna parte uices gerit. Finita dixi, quò secludantur, non curatur, non incidit, & reliqua eiusdē farinæ, quæ non sunt apud Aristotelem uerba, sed uerba infinita, quandoquidem tam in eo quod est, quàm in eo quod non est, æquè dicuntur. Recta superadditur, ad ostendendum maximè propriè curabitur, & curatus est, non esse habenda uerba, sed casus uerbi: nam præsentis temporis uerbum esse oportet, ut sit maximè tale: præteritum uerò & futurum casus dicū tur obliquè deriuati à uerbo, magis, quàm uerba. Addidi, maximè propriè, quia. 6. cap. libri de Interpretatione docet Aristo. fuit, erit, uerba

esse. Quo fit ut uerbum præsens solùm sit quod maximè propriè sit uerbum appellandum. Præteritum autem & futurum uerba tamen sint, sed non maximè propriè. Sunt autem uerba, si sola quidem efferantur instar nominum, significant enim aliquid simplicemq; in animo intelligentiam imprimunt. Circa quod aduerte, uerbum est, triplicem gerere significationem, primam qua significat esse, ut sapit sapere, alget algere. qua quidem perinde atq; nomen ab Aristo. dicitur aliquid significare. Altera quidem est, qua temporis differentiam hanc, uel illam, consignificat. Postrema est significatio, qua nota & signum esse dicitur eorum, quæ de altero dicuntur. Est enim significans quãdam connexionem, & cohærentiam extremorum, qua nunciat sanè conuenire inter attributum & subiectum, atqui uerbum est interdum ponit seu exuit duas harum significationũ, tertia sola retenta. Nã in omnibus pronũciatis quæ (ut dicimus in scholis) in materia cernuntur necessaria, & in quibus nomen infinitũ Aristoteles inquit, uerè dici de re quæ non est, nimirum euenit ut uerbũ est absoluatur à tempore præsenti, & ab ea significatione, qua significat esse, solumq; nobis indicet extremorum cognitionem. Itaq; si roges à me quid sit ecclipsis: respondeo, est inquã terræ interpositio inter solem & lunam. Profectò uerbum est, solam notat connexionem extremorum, non autem significat in præsenti esse, alioqui falsa esset huiusmodi enunciatio, in qua finitio dicitur de finito. Pariter hæc, Adamus est non homo, in qua nomen infinitum tribuitur ei, quod non est, uera censetur ab Aristotele, quod minimè constare potest, nisi tum à prima, tum à secunda significatione absolutum solam extremorum cohærentiam significet. Vbi uerò trinam circunfert significationem, tum dicitur secundum uel tertium adiacẽs, quia significat esse in præsenti adiacere subiecto, diciturq; secundum adiacens in hac, Adamus est, in hac uerò, Adamus est non homo, tertium adiacens. Atq; ita docuit Aristo. 6. cap. libri de Interpretatione, consecutionem ab est tertio adiacẽte ad idem factum, secundum adiacens, fixam esse atq; constantem. ut si colligerem sub hac forma: Adamus, inquã, est non homo: ergo Adamus est. & in quibusuis alijs dißimilibus similiter collectionem ratam efficiam. Illud præterea nos non prætersugiat, in mente non esse uerbum, ut nec nomen est, nec enunciatio, ut præmonuimus, & scriptum uerbum scribi & pingi: non tamẽ quod simpliciter sit uerbum. Nec illud nos prætereat, quod admonuimus agentes de

de nomine, scilicet peculiare munus esse uerbi consignificare tempus, hoc est, præter principale significatum, designare differentiam aliquã temporis. Ex *quo efficitur quòd nomen tempus, dies, hora, tempus quidẽ dicatur significare: adsignificare uerò, seu consignificare, nimimè.* Nec *debemus intermittere hoc in loco, quòd uerbum adiectiuum duo includat, copulam inquam, est & proprium participium: cùm uerò aimus, non curatur uerbum esse infinitum, ita debemus intelligere, ut id non fiat ratione copulæ negatæ, quæ simpliciter non significat aliquid: sed ratione abnegati participij, qua parte uerbum tanquam nomen est.*

Oratio est vox, quæ significat, cuius pars aliqua seiuncta, separataq́, vt nomen, non vt affirmatio, & negatio, significat: vt homo musicus.

Quanquam autem ex instituto, quemadmodũ dixi, non vt instrumentũ omnis significat oratio: non tamen omnis enuntiatio est, sed ea sola, quæ vel verum, vel falsum complectitur.

Λόγος *Græcè, Latinè oratio in præsenti loco dicitur: nam* λόγος *Græcè interdum idem est atq; ratio, siue intelligentia: interdum usurpatur pro finitione: interdum ut in præsenti cõsideratione idẽ sonat atq; oratio, ut cap. de oratione, ad quod nunc alludimus, utitur* Arist. Est *autem inquit, uox ut secludat animi sensa, & scripta, & reliqua, quæ non sunt uoces, in quibus etsi eueniat ut aliquid orationis munere fungatur, nihil minus tamen quàm oratio est, ut ramus pendens ante tabernam, orationis uicem gerit, non tamen oratio est: quippe cùm non sit uox.* Addimus, *quòd sit significans, ad excludẽdas eas, quæ sunt significationis expertes.* Deinde *superadditur, cuius pars aliqua seiuncta separataq; non ut affirmatio, & negatio, sed ut dictio significat, quò discriminetur à nomine, & uerbo: cuius partium nulla est significans separata.* Est *enim oratio cõstans ex duabus, tribus, uel pluribus dictionibus, duplicemq; subit differẽtiam: una quidem est perfecta, & altera imperfecta.* Perfecta, *quæ perfectum sensum inserit in animo auditoris: imperfecta, quæ inchoatum, &*

abruptũ. Perfecta subdiuiditur in indicatiuã, imperatiuam, & cæteras. Harum sola, quæ indicantis est modi, uerum uel falsum complectitur; solaq; ob id enunciatio dicitur. Enunciatio, enunciatum, effatum, pronunciatum, idem. Constat autẽ omnis enunciatio subiecto, copula, & attributo. Subiectum materiei faciem induit, formæ uerò uices gerit prædicatum seu attributum, si adinuicem conferantur: si uerò ambo ad copulam referantur, materiei analogiam subeunt, ut copula formæ. Enunciationis duæ sunt partes, affirmatio, & negatio: affirmatio, qua unum alteri tribuitur, ut homo est animal. Negatio, qua unum abnegatur ab altero, ut homo non est equus. Atqui omnis enunciatio est uera, uel falsa. Vera, quæ ita significat atq; reuerà est, ubi uerbum est absoluitur à tempore, hoc est dictu, enunciatio uera quæ significat ita fuisse atq; fuit, ita esse atq; est. uel ita fore atq; futura est. Est etiam enunciatio item duplicem subiens differentiam, una enim est simplex, altera coniunctione una: exẽpli gratia. Simplex est, homo est probus, quandoquidem simplici constat subiecto, copula, & attributo. Vna coniunctione dicitur enunciatio, quæ simplicibus ex pronunciatis conficitur coniunctione cohærentibus, ut homo est aptus ad capessendam disciplinam, & ob id est idoneus ad Deum cognoscendũ. Cæterùm hoc loco debemus obseruare coniunctione unã enunciationẽ, uel coniunctione copulante, uel disiungẽte, uel uulgò dicta, conditionali, uel rationali, præditam. Porrò quæ copulante constat coniunctione, ut uera sit, hoc postulat, ut inquam unaquæq; enunciatio simplex, ex qua coalescit, sit uera: ut uerò sit falsa sufficit unam simplicem enunciationem esse falsam. Itaq; hæc est uera, homo est rationis particeps, & equus est rationis expers: hæc falsa, homo est omnium animaliũ sapientißimum, & idem est probißimum. Eius uerò cuius partes disiunctiua connectuntur coniunctione, una pars uera totam efficit ueram: ut uerò sit falsa utramq; partem efflagitamus falsam. Est itaq; uera hæc. lignum uel est candidum, uel secus: hæc falsa, uniuersum est notio, uel idem est uox, cõditionalis uulgò dicta, propriè nec est uera, nec falsa nisi catenus, quatenus æquiualet bonæ, uel malæ consecutioni, quandoquidem hæc, si sol lucet, dies est, cùm æquiualeat consecutioni, quæ suapte natura constans est. dico huic sol lucet, ergo dies est: uera quidẽ esse dicitur, hæc uerò, si dies est splendore fruimur. falsa, cùm ei correspõdeat inconstans consequentia. Rationalis pariter est uera, quia constantis argumen

gumentationis legem obseruat, ut quia Socrates est probus, nemini facit iniuriā. Habes quo iudicio discernere debeas uerū à falso in omni pronunciatorum genere. Constat omnis enūciatio ex uerbo, uel ex casu uerbi. Quoniam autem res partim uniuersæ sunt, partim singulæ, ut Aristo. 4. cap. lib. de Interpretatione docuit, efficitur quidem ut enunciationum duplex suboriatur differentia. Est enim una, cuius subiectum est uniuersum, ut hæc, homo est animal: altera, cui subiectum est singulare, ut hæc, Socrates est albus. Atqui ea, quæ prædita subiecto communi quatuor generibus repugnantium, seu oppositarum est obnoxia, de quibus iam res postulat ut nos differamus.

Oppositæ sunt enunciationes, quæ quidem eodem subiecto, copula, & attributo participant, cum vel qualitate, vel quantitate, vel harum vtraq; repugnant.

Qualitatem cum schola, propter terminorū artis penuriam, ne discedamus ob id à veritatis studio, vocamus eam affectionem, qua cernitur enunciatio aiens esse, vel negans.

Quantitas in hoc cernitur, vt inquam enuntiatio sit, vel vniuersa, vel particularis, vel infinita, vel singularis.

Vniuersa & vniuersalis enunciatio, & quæ in toto est idem: vt omnis homo est animal: Diciturq; vniuersa hoc nomine, quòd eius subiecto communi præfigatur nota vniuersi generis.

Nota vniuersa, nota generis vniuersi, apud Perionium

rionium, & signum vniuersale in scholis idem: cuiusmodi sunt, omnis, nullus, & similes, quæ terminum, cui adhibentur, cùm sit vniuersum, designāt vniuersè vsurpari.

Particularis dicitur enunciatio, cuius subiecto communi præfigitur nota particularis: huiusmodi est, quidam homo est candidus.

Infinita, seu indiffinita, est cuius, inquam, subiecto communi neutra præfigitur nota, neq; vniuersalis, neq; particularis: vt homo est probus.

Singularis est, cuius subiectum est indiuiduum: vt hic homo est musicus.

Quale, rogat an sit, aiens enunciatio, an secus.

Quantum, an sit vniuersa, an particularis, an sit infinita percontatur.

Quod attinet ad veritatem discernendam, vt vniuersa sit vera, necesse est vt attributum reuera in vnoquoq; subiecti significatorum ita insit, aut non insit, atq; sonat enunciatio.


Vt verò particularis, vel infinita sit vera, solū hoc efflagitamus: vt saltem in vno significato subiecti ita congruat attributum vt præ se fert enunciatio.

Infin-

Infinita interdum quidem vniuersæ, interdum verò particularis personam gerit: vt in tradendis doctrinis rationem induit vniuersalis, eius autem quæ in parte, passim.

ἀντιτίθεσθαι & ἀντικεῖσθαι, id est, opponi dicuntur pronunciata eiusdem subiecti, eiusdem copulæ, eiusdem attributi: quorum unum est aiens, alterum negans: uel unum uniuersale, alterum particulare. Schola qualitate repugnantes appellat aientem & negantem, quantitate, uniuersalem & particularem, subintelligit enim schola sub hac infinitam. Estq; boni cõsulendum in præsentiarum, quòd his utamur terminis, qualitas, quãtitas, particulare, minus usitatis apud Ciceronem: quandoquidem usus scholæ diu à Theologis & Medicis confirmatus, & iuuentutis utilitas id efflagitat. Ita enim instituimus, ut magis incumbamus studio instruendæ iuuentutis, quàm exquisitiùs colendi sermonis: præsertim cùm nullum suppetat uocabulum, quo utamur horum loco, & elegantiùs & iuuentutis frugi, quam ante omnia uenamur oportuniùs. Dixi ut enunciationes dicantur oppositæ, ut eodem participent subiecto, copula & attributo: ut excludantur, homo est iustus, homo non est candidus: Canis est in mari, canis non est in cœlo, & reliqua istius farinæ: in quibus non est idẽ subiectum, copula, & attributum. Vt autem sint oppositæ, ut inquit textus, pugnare debent, uel qualitate sola, ut contrariæ ac subcontrariæ: uel sola qualitate, ut subalternæ: uel tum qualitate tum quantitate, ut contradictoriæ seu contradicentes. Distribuuntur enim oppositæ ab Aristotelis expositoribus in quatuor hæc genera, suntq; cõtrariæ oppositæ: quarum una est uniuersalis aiens, altera uniuersalis negans, ut omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus. Subcõtrariæ sunt oppositæ, quarum utraq; quidem est in parte, una uerò negans, aiens altera, ut quidam homo est bene meritus de Repub. quidam homo non est bene meritus de Repub. Subalternæ dicuntur oppositæ, quæ quidem sunt eiusdem qualitatis, sed aduersæ quantitatis: ut omnis homo est cõditus ad felicitatem, & quidam homo est conditus ad felicitatem. Appellantur autem subalternæ id genus oppositæ, quia mutuò alternis uicibus utraq; alterius est antecedens & consequens: quãdoquidem ex uniuersa uera rectè col-

ligimus particularem esse ueram, & ex falsa uiceuersa particulari necessaria consequutione conuincimus uniuersam esse falsam, ut rectè quidem efficitur ex eo quòd hæc sit uera, omnis homo est animal: quòd hæc etiam & uera sit, quidam homo est animal. & ex aduerso, si hæc sit falsa, quidam homo est iustus. ergo & hæc, omnis homo est iustus. Cōtradicentes, seu, ut inquit Perionius, oppositæ contradictorio modo, seu ut schola cōtradictoriæ sunt oppositæ, quæ tū qualitate, tum quātitate pugnāt: ut omnis homo est rationis cōpos, & quidā homo nō est rationis compos. Ego uerò nō uideo qua ratione Perion. ducatur ad appellādas cōtradicentes, disparatas, seu repugnātes, cùm nec Cice. quē solet maximè imitari, nihil minus fecerit, & horū uocabulorū uis nō minus quadret cōtrarijs, quàm cōtradicētibus. magis enim sibi repugnāt hæ, omnis homo est iustus, & nullus homo est iustus: quàm illæ, omnis homo est iustus, & quidam homo non iustus. Quibus efficitur præstabilius esse in præsentiarum uti proprijs nominibus in schola usitatis, quàm alienis ab usu Philosophorum, & rei ueritati, quam exprimere ante omnia Philosophi conātur parum accōmodatis. Sed harū quatuor, quæ in oppositis cernūtur, formarum subiectam descriptionem cōsule: hæc enim omnia, quæ circa hæc iam dudum præcepimus, tibi aperiet.



Leges Latinè, νόμοι Græcè oppositarum ita se gerunt, ut cōtrariæ poßint interdum esse simul falsæ: nunquam tamen simul ueræ. Contrà subcontrariæ poßunt esse simul

ueræ,

uerae, nunquam autem simul falsae. Subalternae interdum uerae reperiuntur, interdum falsae. Contradicentes neq; possunt esse simul falsae, ex quibus regulae deriuantur, quae formulas argumentandi subministrant.

Contrariarum si una sit uera, necessariò efficietur alterã esse falsam. *Prima regula.*

In contrarijs si una deprehenditur falsa, consequitur alteram esse ueram. *2. Regula.*

Ex subalternarum uniuersa uera, efficitur particularem esse ueram. *3. Regula.*

Subalternarum falsa si sit quae in parte, continuò consequitur eam, quae in toto, esse falsam. *4. Regula.*

Contradicentium ex alterutra uera, colligimus alteram falsam: & ex alterutra falsa, alteram ueram. *5. Regula.*

Porrò quantum ad leges attinet infinitae, etsi nonnunquam, quod superius monuimus, uniuersae sumantur, nonnunquam sensu particularis usurpentur: nulla tamẽ lege obstringũtur, quàm ipsae particulares. Itaq; ad hanc ueram ostendendam, homo est iustus, sufficit ut saltem unus ostẽdatur homo, qui reuera sit iustus.

Diximus hactenus de pronunciatis, quorum subiectum est uniuersum, nunc de illis dicamus, quae quidem ex singulis constant. In his igitur quãtum ad uerum & falsum attinet, eadem seruanda est lex, atq; in contradicentibus: ut hae, Socrates est albus, & Socrates non est albus & quaeuis eiusmodi, quae constẽt eodem subiecto, copula, & attributo, & qualitate pugnent. Neq; enim simul possunt esse uerae, neq; simul esse falsae. Quò fit ut si una sit uera, oporteat alteram esse falsam: & ex utraq; falsa, ueram alteram esse colligamus. Vbi uerò in quatuor generibus oppositarum finiendis adhibuimus genus, primum omnium aientes, quòd sint oppositae sub hoc nomine debes aduertere, ut quaeuis harum esse debeant eiusdem subiecti, copulae, ac attributi: alioqui neq; ualent esse contrariae, neq; subcontrariae, neq; etiam contradicentes. Nec illud nos praetereat, enunciationes, quas Aristo. Graecè appellat τὰς ἀντικειμένας, *quasq; Latinè uocamus oppositas, ab Aristo. sub gemina differentia solùm distributas, alteras enim, inquit, opponi contradictorio modo, alteras uerò contrario sub his uerbis,* ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν ἀποφάσει λέγω ἀντιφατικῶς τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τῷ αὐτῷ ὅτι οὐ καθόλου, οἷον πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς οὐ πᾶς ἄνθρωπος λευκὸς οὐδεὶς ἄνθρωπος λευκὸς, ἔστι τὶς ἄνθρωπος λευκὸς ἐναντίως δὲ τὴν τοῦ καθόλου κατάφασιν καὶ τὴν τοῦ καθόλου ἀπόφασιν οἷον πᾶς ἄνθρωπος δίκαιος οὐδεὶς ἄνθρωπος δίκαιος. *id est, opponi quidem igitur affirmationẽ*



negationi cōtradictorio modo, dico eā quæ significat de uniuerso uniuersim dici aliquid ei, quæ nō uniuerse idipsum deßignat, ut omnis homo cādidus est, nō omnis homo candidus, nullus homo cādidus est, quidā homo cādidus est. Cōtrario modo dico enunciationē subiecti uniuersi, & uniuersim sumpti, quæ sit aiens, & eiusdem negantē, quæ pariter sit uniuersa: ut omnis homo iustus est, nullus homo est iustus. At uerò schola gratia familiarius consulendi iuuentutis utilitati, reliqua duo superaddidit oppositarum enunciationum genera. dico subcontrarias, & subalternas: quas Aristot. ex harum intelligentia dependentes, de industria prætermisit, relinquens munus eas explicandi præceptorum, uel expositorum officio.

In instantibus igitur, ac præteritis affirmatio, aut negatio vera sit necesse est: in ijsq́, vt dixi, quæ cum rebus vniuersis vniuersi generis notā habent, semper altera vera est, altera falsa necessariò.

Id interest inter enunciationes dictas de futuris contingentibus, & eas quæ sunt in instātibus, ac præteritis: quòd omnis enunciatio de præterito, uel instantis temporis uera etiam etsi sit in materia contingenti, iam non potest non esse uera, quæq; sit ex his falsa, non ampliùs potest non esse falsa: ut hæc, Adamus fuit, ita est uera, ut nō poßit non esse uera, siquidem ad præteritum, ut uulgò dicitur, non est potentia. Par est iudicium de hac, Socrates dat operam literis, quæ quidem uel definitè iam uera est, ita ut non poßit iam nunc esse falsa. At uerò in futuris contingentibus longè secus est, quandoquidem hæc, Socrates cras bene merebitur de uirtute, neq; potest esse definitè uera, neq; definitè falsa. id est, nō potest ita esse uera quin simul poßit esse falsa, nec ita falsa quin simul poßit esse uera. Cùm enim ex eo quòd res ita se gerit atq; per enunciationem significatur, uel secus enunciatio dicitur uera uel falsa, haud dubiè consequitur ut perinde atq; omne quod fuit, quando fuit necesse est fuisse: & omne quod est, quando est, necesse est esse. Ita etiam omnis enūciatio præteriti temporis, uel præsentis simul atq; uera est, necessariò sit uera. Similiterq́; ut falsa, ita sit necessariò falsa: necessariò quidē non simpliciter, sed cum adiecto, quando est falsa. Atqui pronunciata, quæ

uersan

uersantur in futuris contingentibus, ex eo sanè quòd futurum contingẽs eo ipso tempore quo futurum est, poßit non fore, id obtinent ac sibi uen dicant proprium, ut cùm ueræ sint, poßint non esse ueræ: & cùm falsæ sint, poßint non esse falsæ. Aduerte autem Aristo. discrimen ponere inter pronunciata futuri contingentis, quæ sint in toto, quæq; in doctrinis percipiuntur: quòd illa sint uel definitè falsa, cuiusmodi est hæc, omnis pluuia fiet ex uapore tanquam ex materia. Est enim in his recta ueritas, adeò ut non poßint ex ueris fieri falsæ: quod uelim intelligas secundum sententiam Aristo. qui persuasus est & mundum esse perpetuũ & æternum. Itaq; ob id uniuersa sunt Aristo. æterna, etiam etsi sint in materia contingenti: si uerò sint enunciationes futuri contingentis subiecto prædita singulari, neq; necessariò ueræ sunt eo ipso tempore, quo ueræ percipiuntur: neq; necessariò falsæ, quando falsæ. Cæterùm aduerte enunciationes præteriti & instantis temporis, quarum ueritas dependet ex futuro contingenti, eandem subire condicionem cum singularibus contingentis futuri, cuiusmodi, est, hæc inquam, enunciatio fuit uera, Antichristus erit. Ad hæc illud nos non præterfugiat, eius generis repugnantiæ, quæ inter contradicentes, quæ sint subiecto constantes indiuiduo, quæq; sint futuri contingentis, uersatur, eam esse legem, ut necesse sit alteram partem esse ueram, alteram falsam coniunctim: diuißim uerò neque necesse sit affirmationem esse ueram, neq; negationem esse falsam.

Quoniam autem omnis affirmatio quiddam de quodam dicit, idq́ vel nomen est, vel vacat nomine: quod autem in affirmatione continetur id & vnũ esse, & de vna re dici debet.

Nuper diximus de quadruplici pronunciatorum repugnãtia, sermonem habentes de his effatis, quæ simplici constant subiecto, & simplici prædicato: nunc idem iudicium faciendum est in enunciationibus constantibus subiecto, uel attributo, quod sit nomen infinitum, siue uerbum est in enunciatione secundum sit (uulgò dictum in scholis) adiacens, siue tertium. Appello autem uerbum, est, secundum adiacẽs in hac, homo est, in qua præter uerbum, est, nullum est amplius attributum. Ac tertiũ adiacens dicitur ubi præter ipsum alterum est appositum attributum, ut

in hac, homo est iustus. Est igitur similiter adaptanda quantitatis, qualitatis, & repugnantiæ uaria ratio in his pronuntiatis, quæ quidem uariantur & distinguntur nunc ratione subiecti, uel attributi infiniti, idq; interdum infinite, interdum uniuersim, uel in parte. Nam in omnibus his eadem in totum est habenda lex, idemq; iudicium atq; fecimus hactenus. Variatur autem primùm quidem usurpando uerbum est, ut secundũ sit adiacens, sub hac forma: homo est, homo non est, faciendo subiectum ex finito infinitum dicemus, non homo est, non homo nõ est. Itaq; utræq; sunt subcontrariæ, tum hæ, omnis homo est, non omnis homo est, subiectũ faciendo infinitum migrant in has, omnis non homo est, non omnis non homo est: quæ quidem sunt contradicentes. Nec dispar habendum est iudicium, si penes temporis differentias has ipsas uariare uelis. Deinde uerò potest fieri uariatio, quando uerbum est tertium occurrit adiacẽs, quia nunc in subiecto fiet, nunc in attributo. In attributo quidem & infinitè, ut in hac formula.

A Homo iustus est.	Huius negatio.	C Homo non est iustus.
C Non iustus non est homo.		A Non iustus est homo

At uerò uariata quantitate idipsum fiet, ut in formula sequenti.

A Omnis homo iustus est.	Huius negatio.	C Nõ oĩs homo iustus est
C Nõ oĩs homo nõ iustus est.		A Oĩs homo est nõ iust.

Sunt itaq; prioris formulæ, affirmatio, & negatio, dictæ subcontrariæ, uel subaduersæ. Huius autem contradicentes, siue igitur uarias has penes attributum, uel subiectum infinitum, idq; nunc usurpato uerbo, est, ut secundo loco sit adiacens, uel ut sit tertium quantum attinet ad qualitatem, quantitatem, & repugnantiam, non dispar est conditio harum, quàm fuerit illarũ, quas quidem superiùs ex simplici subiecto, simpliciq; attributo moliebamur. Sed ambiges, quorsum in his formulis nunc uocalem, A, pronunciato præfigimus, nunc uerò consonantem, C? Id eò fit ut, A, desßignet antecedens, C, consequens: nam in his conferendis, ut colligatur constans, hanc debes legem seruare. ut, inquam, conferas superiorem cum sibi subiecta. Vtram uerò earum sis facturus antecedens, utram consequens, literæ prædictæ monebunt. Ex his igitur efficitur illa regula in scholis tritißima: Ex omni, inquam, enunciatione aiente, cuius attributum est nomen infinitum, colligitur negans, quæ prædicato constet finito: non autem ex aduerso, idq;, A, &, C, literæ in utraq; figura monent: ut hæc est ualens consequutio, homo est non iustus, ergo homo non est iustus

Dubium. Solutio. Regula.

stus.non tamen rectè colligitur, Petrus non est iustus, ergo Petrus est nō iustus: nam & Petrus uita defunctus non est iustus, atq; ita uerum est antecedens, falsum tamen est consequens, quòd, inquam, idem sit non iustus. Vt enim hæc sit uera, Petrus est non iustus, exigimus duo, primum quidē quòd Petrus cohæreat siue constet, secundo loco quòd non sit iustus. At occurres, Non iustus, ut inquit Aristo. in. 2. cap. primi libri Perihermi. nomē appellatur infinitū, quia similiter in quolibet est, & in eo quod est & in eo quod nō est. Siue igitur Petrus sit expers iustitiæ, siue nō extet, uera tamen hæc est, Petrus est non iustus. Dico uerbū est in hac enunciatione, Petrus est nō iustus, bifariā usurpari posse: uel enim sumitur ut solam dicit unionē prædicati & subiecti, & ita hæc est uera, Petrus est nō iustus. ubi Petrus in rerum natura minimè sit, uel uerbum est percipitur triplici significatione: ut, inquam deßignat unionē & cohærentiam extremorū, & præter id consignificat tēpus præsens, nec nō significat esse: ut currit currere, sedet sedere. Itaq; ita usurpatur ab Aristo. in præsenti loco. Quo fit ut aliter sumatur in. 2. cap. primi lib. Perihe. aliter in. 1. secundi. Hic autē nos utimur secūda significatione. Cæterùm ex his formulis etiā colligitur consequentiā hanc esse necessariā, homo iustus est, homo igitur non est nō iustus: & pariter hæc est constans, omnis homo iustus est, ergo nō omnis homo nō iustus est: non ex aduerso. similiter & hæc est perpetua consecutio, omnis homo est non iustus, ergo non omnis homo est iustus. Similis est habenda ratio in illis, quarū subiectū est infinitum Sunt enim æstimandæ perinde atq; si subiectū esset finitū. dico ut præscripsi, quantum attinet ad quantitatē, qualitatē, & repugnantiam. Nec secus censendum est in effatis, quorū uerbum est adiectiuum.

At verò nomina, & verba, si transponantur, aut traijciantur, idem semper significant: velut, Est albus homo, est homo albus.

Sumulistarū errorē euellit, qui discrimen arbitrantur esse inter has: animal est omnis homo, & omnis homo est animal. existimāt enim hanc esse falsam, animal est omnis homo, uerā hanc asserunt, omnis homo est animal. Illud autem nos non prætereat, doctrinam hanc textus ita exponendam, ut inquam, nomina & uerba, si transponantur eo modo ut sensus idem incolumis & integer permaneat, protinus idem significare, alioqui doctrina hæc esset obnoxia cauillo: nec enim idem est dictu,

homo non

Obiectio.

Dilutio.

homo,non est iustus infiniti,atq; si percipiens uniuerse,dicerem, non,homo est iustus,

Sed quoniam alia coniuncta & copulata sic dicuntur, vt vnum fiat attributum ex his quæ separatim dicuntur: alia non, quæ hoc loco distinctio & dissimilitudo est, quærat aliquis.

Penultimo cap.secundi Periherm.uocat in dubium Aristo. quòd hic textus nobis proponit,ut pote an semper liceat argumentari à diuisis ad coniuncta,uel uicißim à coniunctis ad diuisa.Explicat autem in summa non semper euenire ut ea,quæ singula diuißim dicuntur,id est, in diuersis pronunciatis,eadem dicantur & coniunctim,hoc est,sub unius attributi ratione.Neq; enim consequitur,Petrus est bonus,& idem est sutor: ergo est sutor bonus cùm enim simpliciter sit probus,& scorsum sit sutor,non ob id eueniet,& consequetur,ut continuò sutor bonus esse dicatur.

Prima regula. Itaq; si sint accidentia duo,quorum utrũq; sit eiusdem subiecti accidens,& utrũq; alteri accidat,ut in dudum dictis euenit, inconstans erit consequutio à diuisis ad coniuncta.

2.Regula. Quando duo similiter eidem subiecto tribuuntur seiunctim,ex quibus nõ ualet unum effici per se, nec unum per accidens,concludemus unam enunciationẽ,in qua unum fiat ex illis coniunctis attributum: ut non rectè colligeremus, Socrates est musicus, & socrates est candidus:ergo Socrates est musicus candidus, quippe cũ ex musico & candido, neq; fiat unum per se, neq; fieri queat unum per accidens. Appello autem unum per se,ut substantia corporea animata sensus & rationis compos.Hæc enim etsi uoce tenus multa sint,reuera tamen unum per se, id est, unum substantia,hominem,ut pote, constituunt. Vnum per accidẽs uoco, unum accidente,quod nimirum resultat ex una substantia tanquam subiecta materia,& ex una forma accidentali.Exẽpli gratia, homo musicus etsi uoce tenus duo sint, reuera tamen homo tanquam subiectum,& musicus tanquam forma unum præstant accidente,quod schola nuncupat,unum per accidens. At musicum & candidum duo sunt accidẽte,nam perinde atq; ex duabus formis essentialibus nullo modo ualet effici unum substantia, seu per se: ita ex duabus formis accidẽtium,quarum neutra in alterius essentia sit,sed alteri potiùs accidat,

consi

conficietur,nunquam unum accidente. Nec etiam ex his, quæ separatim & uerè dicuntur efficietur unum attributum ex eis in unum coalescẽtibus,quod quidem coniunctim eadem de re,de qua hæc uerè dicũtur,probè enuncietur, ubi ex quauis eorum coniunctione subnascatur nugatio. Nec enim aptè colligerem,Petrus est homo,& idẽ est animal,Petrus igitur est homo animal:nec absimiliter ex eo quòd Socrates semel,iterum, ac tertiò dicatur candidus,rectè concluderem quòd sit Socrates candidus,candidus,candidus. Est autem nugatio uitium orationis,quo idẽ bis temereq; repetimus:ut in hac,Plato inquã est homo animal,nugatio committitur,bis enim in attributo apponimus animal, idq; secunda uice,imprudenter,& præter rem facimus. Qui enim dixit Platonem esse hominem,simul asseruit esse animal,nugamur igitur, postquam semel dixerimus Platonem esse animal,si rursus idipsum repetamus. Dixi autem temerè,abs re,imprudenterq;:nam in hac, Ioannes est animal,homo idem bis repetitur,utpote animal,semel quidem explicatè deinde uerò inclusè. Sed hoc licet facere per figuram appositionis,quando nimirùm post uniuersum apponimus, quod proprium est & peculiare, gratia nimirum ambitum uniuersæ tractationis contrahendi. Quæ autem in attributis iamdudum diximus,pariter ad subiecta similitudinis transferenda sunt. Si autem postules an à coniunctis ad separatim dicta ualeat argumentatio,id Aristote. duabus regulis explicat. Prima quidem est huiusmodi: 1. Regula.
Si inquam aliqua coniunctim dicantur, quorum seiunctim collatorũ rationes admuicem sint repugnantes,inconstans erit argumẽtatio,qua ducimus argumentum ab his,quæ coniunctim dicuntur,eadem colligentes dici separatim. Qua ratione minimè constat hæc argumentandi ratio, Socrates est homo mortuus, ergo Socrates est homo,& idẽ est mortuus, siquidem finiendo seorsum hominem, & altera ex parte quid sit mortuũ aperiendo. deprehẽdes hominem separatum dictum repugnare mortuo. Altera regula nos monet,si duo coniunctim dicantur eadem de re,quorum alterum non ex se,id est,non sui sed alterius ratione dumtaxat dicitur, minimè quidem consequitur eadem de re separatim hæc dici,ut non 2. Regula.
rectè concludes, Homerus est Poëta, igitur Homerus est.

His autem expositis, nunc quemadmodum inter se affectæ sint enunciationes, quæ de eo dicunt, quod


poßit fieri, aut non poßit, deq; eo quod euenit, aut nō euenit, de eo deniq; quod impoßibile, quodq; necessarium est, disseramus.

Quandoquidē hactenus de simplicibus enunciationibus disseruimus, reliquum est ut modorum enūciationes iam aggrediamur, in quibus inquam id quod exprimitur infinitiuo rationem habet subiecti, modus uerò partes agit attributi: ut in hac, Petrum esse candidum est contingens, tota hæc oratio, Petrum esse candidum, subiectum nominatur, modus, cōtingens, prædicatum. Nec dispar est in reliquis huiusmodi ratio. Sed ad ingenium uerum à falso discernendi comparandum in huiusmodi, primum omnium est aduertēdum, quòd enunciatio huius generis bifariàm poßit explicari, uel in sensu componente, uel in diuidente: ut hoc pronunciatum, sedere currentem est impoßibile, sensum componentem hunc gerit, hæc inquam enunciatio, sedet currens, est impoßibilis, qui quidem uerus est, alter est falsus in scholis, dictus uulgò, diuidēs, nempe, eū qui currit, impoßibile est sedere. In præsenti capite Aristote. enunciationes modorum, quas adinuicē confert sensu componente metitur, & expendit.

Cæterùm illud etiam obseruandum est, qualitatem & quantitatem, in id genus effatis æstimari debere penes modum, ut enim omnis, nullus, quidam, & quidam non, in simplicibus enunciatis circa eandem subiectam materiam, id est, circa idem subiectum, & copulam, & attributum, cæteris paribus adhibita nunc faciunt diuersas enunciationes, nunc subcontrarias, iam subalternas uulgò dictas, nonnunquam contradicentes ita etiam modi necessarium, impoßibile, quod fieri potest, & poßibile non, quatuor genera repugnantiæ constituunt, si circa eandem uersentur materiam. Est autem materies in his id quod exprimitur per infinitiuum, quod in oppositarum & repugnantium & oppositarum utraq; idē esse debet omnino, non secus quàm prius, in reliquarum enunciationum repugnantia operæpretium duximus, ut idem esset omnino subiectum, & eadem copula, idemq; attributū. Quò fit ut modi, necessarium, & impoßibile, circa idem omnino subiectum, ut dudum dixi, per infinitiuum expressum faciant aduersas seu contrarias: poßibile, & poßibile non, subcontrarias: necessarium, & poßibile, subalternas: pariter impoßibile, ac

impoßibile

impoßibile non:deniq; contradicentes neceſſariū,& poßibile non,ſimiliter impoßibile, ac poßibile. Hæc autem ſubſcripta forma familiariùs ponit ob oculos.



In his autem comparādis obſerua nihil intereſſe ad pecu liarem harū repugnātiā, quòd id quod per infinitiuum exprimitur uniuerſim, uel particulatim, uel infinitè,idq; uel aiendo,uel negando efferatur: dummodò in utraq; repugnantiū neminimum ſit ſui diſsimile. Rurſus notare debemus, ac animaduertere enunciationes has ex repugnantibus reciprocas,& ut uulgus appellat,æquipollentes, ſeu æquiualentes, tribus regulis adminiculis deprehendi,eiſdem ferè,quibus in ſimplicium enunciationum ratione reciproca uti ſolemus. In quibus quidem ſi ſubiecto & ſigno anteponatur, negatio fit ex contradicente reciproca. Si uerò ſigno & ſubiecto poſtponatur ante copulam,fit ex contraria reciproca,uel ex ſubcontraria. At uerò antepoſita ſigno, & ſubiecto negatione,proximeq; poſtpoſita,fit ex ſubalterna reciproca. Quibus efficitur ut ui primæ regulæ reciprocentur adinuicem: omnis homo eſt iuſtus,non aliquis homo non eſt iuſtus. alterius ratione reciprocæ ſint,omnis homo eſt iuſtus,nullus homo non eſt iuſtus:ob tertiam inuicem reciprocantur hæ,omnis homo eſt iuſtus, non quidam homo nō eſt iuſtus. Et par eſt iudicium in reliquis eiuſdem ordinis. Nec illud prætereamus, ubi una ex his regulis monet negationem apponendam,ſi altera occur-

rat eodem loco cōstituta, priori subtracta, perinde rem significare, atq; si altera esset opposita. Monet subalternarum conditio, ut si uelim facere reciprocam ex subalterna, subiecto & signo anteponam, & inter subiectum & copulam interponam negationem. Proponuntur mihi subalternæ, nullus homo est prudens, quidam homo non est prudens. Sciscitaris, ut in ea, quæ quidem est in parte, dico in particulari, tibi aßignem uniuersè reciprocā iuxta normam regulæ: dicturus eram, non quidā homo non est prudens? Ego uerò, ne subsequatur nugatio, commodiùs animum induco, ut prior negatio tollatur citra negotium, quàm quòd adhibeatur altera. Quocirca loco huius, non quidā homo nō non est prudens, quæ nugationis uitio est obnoxia, malo dicere, non quidam homo est prudens, maximè cùm duæ negationes æqua ui preditæ seipsas uicißim & funditùs aboleant: adeo ut si tantisper nugationis ineptiam boni æquiq; accipiamus, perinde sit neutram illarū, atq; utramq; apponere. At uerò in enunciationibus modorum propemodum eisdem nitimur monitis. Prima, inquam regula ita sonat, si modo anteponatur negatio, fit
1. Regula. contradicentis æquipollens. Secunda regula ita nos monet, anteposita,
2. Regula. & proximè postposita negatione, subalternæ fit æquiualens. Tertia do-
3. Regula. cet, postposita modo immediatè negatione, fieri ex contraria cōtrariæ reciprocam, ex subcontraria pariter subaduersæ. Quibus sequens Aristotelis formula hic subscripta nititur, in qua contingens pro eo quod nonnunquam euenire uel solet, uel potest, usurpatur.

Fieri potest, vt sit homo musicus.	Fieri nō potest, probum esse iniurium.
Accidit. i. contingit, vt sit homo musicus.	Non contingit, probum iniuriam facere.
Nō impoßibile est, hominem esse musicum.	Impoßib. est, probū iniuriosū esse alteri.
Nō, necessariū est, nō, hominē esse musicū	Necesßū est, non, esse probum iniurium.
Poßibile quidem est, nō, hominem sedere.	Nō fieri potest, nō, hominē nō esse uiuentē.
Contingit, non, hominem sedere.	Non contingit, nō, hominem esse viuentem
Non impoßibile est, nō, hominem sedere.	Impoßib est, non, hominem esse viuentem.
Non necessum est, hominem sedere.	Necessarium est., hominem esse viuentem.

Dubium. Sed ambiget aliquis, quod Aristo. nouißimo cap. Periberminias uocat in quæstionem, an inquam huic affirmationi, omnis homo est iustus, aduersa sit magis ea, nullus homo est iustus: an potius affirmatio, omnis

homo

homo est iniustus,quæ quidem constat extremo contrario? Respondeo minimè quidem hoc nomine, quòd extrema contraria sint effici, ut enũciationes sint cõtrariæ:nam tum bonum est bonum, & malum est malum, quæ, inquam, utroq; extremorum cõtrario participant magis essent cõtrariæ, si ratione contrariorum extremorum pronuntiata sint æstimãda contraria. sed harum ambæ simul ueræ sunt, quin una consequitur ex altera,loco à contrarijs.ergo ratione aduersa extremorum non sunt enuntiata nuncupanda contraria. Præstat igitur dicere, quòd ei affirmationi,omnis homo est iustus,contraria sit negatio,nullus homo est iustus, eisdem extremis & copula participans, quàm affirmatio, quæ sit prædita extremo cõtrario: ut pote,omnis homo est iniustus. Atqui cùm ad Porphyrij quinq; uoces Aristotelis Categorias, & librum de interpretatione iuuentus sit hactenus instituta,eius naturæ, ac doctrinæ methodus nos monet,ut ad syllogismorum rationem progrediamur. Dilutio.

In qua,propter uastã Arist.horũ tractationẽ nauabimus operam,ut sola ea proponamus summa breuitate utilitateq; quàm facillimè explicanda, in quibus posita est uis duorum librorum prioris resolutionis: his enim perceptis studiosus adolescens unius præstantium expositorum ope reliqua citra negotium ualeat comparare. Accedit quòd pro institutionis ratione, non conueniat prolixa illorum consideratio præsenti negotio. Duo igitur potissimùm à nobis explananda sunt circa syllogismorum considerationem, imprimis nauanda est opera circa figuras & peculiares argumentationum formulas, de inde uerò de inuentione medij, ad quoduis genus roborandæ conclusionis accomodati,generatim est nobis differendum. Nam de medijs speciatim inueniendis topici muneris est pertractare. sed antequam ratiocinationũ constructionem aggrediamur, Aristotelis consilio dicamus de pronunciatorum reciprocatione.

Reciprocatio, est subiecti in prædicatũ, & prædicati in subiectum, eádem cõseruata copula trãsmutatio.

Est autẽ triplex in scholis obseruari solita, sim-

plex, vulgò dicta, Per accidens, & Per extremorū abnegationem.

Aristoteles in secundo cap. primi libri prioris resolutionis tertiam intermisit.

Simplex est reciprocatio, in qua eādem obseruamus qualitatem, & quantitatē: vt nullus homo est equus, ergo nullus equus est homo.

Per accidens ea dicitur, quæ fit incolumi qualitate, & comutata quantitate: vt omnis homo est animal, quoddam igitur animal est homo.

Per extremorum abnegationē fit reciprocatio immutata qualitate, & quantitate, terminisq; finitis mutatis in infinitos: vt omnis homo est viuēs, ergo quicquid est non viuens, est non homo.

Ad moliēdos syllogismos magni momenti sunt enunciationum reciprocationes, quas barbari conuersiones uocāt, præsertim simplices & per accidens dictæ: nam quæ tertij sunt generis potius ad iuuentutis ingenium exercendum, quàm quod pertineant ad præsens institutum adminiculantur. Enascuntur autem argumentandi formulæ ex huiusmodi reciprocationibus, nam simpliciter inuerti dicimus uniuersalem negantem, & particularem aientem. Per accidens uniuersam omnem, tum aientem, tum negantem. Cum extremorum abnegatione uniuersalis aiens, & particularis negans reciprocantur. Ita, inquam, ut in his omnibus fiat consequutio inuersionis ui necessaria, nam alioqui quasuis quouis modo possemus inuertere. Barbari hæc tria genera consequutionum ita solebant exprimere, ut iuuentutis memoriæ doctrina firmius inhæreret, Barbaro quidem sermone, sed eleganti perutiliq; ingenio, & arte sub his uerbis.

Simpliciter

Simpliciter, Feci, conuertitur, Eua, per acci.
Asto, per contra, sic fit conuersio tota.

Circa quod aduerte uocalem, a, idem sonare apud eos in syllogismorum & uniuersorum consideratione, atq; uniuersalem aientem, ut, e, idẽ est dictu atq; uniuersalis negãs, i, particularis aiẽtis, o, eius, quæ in parte est negationis, rationem subit. Itaq; sensus horum carminum hic est. Feci, dico, e, &, i, hoc est, uniuersalis negans, & quæ in parte est aiens, simpliciter, hoc est, simplici inuersione conuertitur, i, inuertitur, seu si manis reciprocatur. Eua, per acci, id est, e, &, a, uniuersalis, inquam, negãs, & uniuersalis aiens reciprocatur per accidens. Asto, utpote, a, &, o, uniuersalis, inquam, aiens, & particularis negans inuertuntur per contra, i, cum extremorum abnegatione. Atqui quæuis harum reciprocationum fit necessaria consequutione ratione formæ constantis, & perpetuò sui similis. Itaq; cuiuis materiei adhibeatur, si forma ratiocinandi leges reciprocandi, quas dudum præscripsimus, imitetur, perpetuò fiet argumentatio necessariò constans Ex his autem efficitur, in quauis harũ argumentationum huiusmodi, ex antecedente definito per modum necessarium, sequi continuò conclusionem eodem modo definitam: ut si necesse est omne, b, esse, a: necessum est igitur aliquod, a, esse, b. & cùm necesse sit nullum, b, esse, a, necessum est nullum, a, esse, b. Itaq; pronũciata modis definita necessarium & possibile similiter atq; simplices enũciationes reciprocantur. At uerò quæ modo impossibile definiuntur inuerso his ordine reciprocantur. Quocirca, ut uniuersalis in particularem inuertitur in simplicibus, & in his quorum est modus, necessum, uel possibile, pariter ex aduerso, ea, quæ est in parte, modo prædita impossibile consequitur: ut impossibile est aliquod, a, esse, b: ergo impossibile est omne, b, esse, a. Innitũtur autẽ reciprocationes in his modorũ pronũciatis duabus pertritis regulis dialecticis, quarũ prima docet: in omni consequutione, cuius antecedẽs est necessariũ uerũ, uel possibile, consequẽs, simili modo definitum effici. Altera monet ex aduerso, si conclusio sit impossibilis, uel falsa, eodem modo definitum antecedens necessariè concludi. Est autem hic intelligendum, in inuertendis modorum enunciationibus, iuxta regulas dudum præscriptas, sensum componentem obseruandum non diuidentem. Neq; enim rectè consequitur, omnis musicus necessariò est homo: ergo aliquem hominem necesse est esse musicum. Sed percontaberis Dubium.

taberis in enunciationibus definitis, modo contingens, qualem legem in reciprocatione debeamus conseruare? Respondeo, contingens interdum usurpari pro necessario, uel possibili, ut autor est Aristo. primo libro prioris resolutionis: interdum pro eo quod potest esse & non esse: qua significatione medium est contingens inter necessarium, & impossibile. Idq; subdiuiditur in triplicem differentiam, in rarum, & in id quod ut plurimùm euenit, & in id quod uulgus appellat ad utrumlibet. hoc est, quod ferè æquè euenit, atq; non euenit, & contrà. Iam si contingens accõmodetur necessario uel possibili, eandem subit conditionem cum his: si uerò aliter percipiatur, ut inquam, significet id quod potest esse, & potest non esse, non eandem seruat legem in his: neq; enim sequitur, aliquem hominem cõtingit esse musicum, ergo aliquem musicum contingit esse hominem, in sensu deuidente: in componente uerò cùm uniuersalis negans, & particularis aiens reciprocẽtur adinuicem, utraq; igitur est alterius antecedens, & consequens. Quo fit ut ex utraq; uera colligitur alteram esse ueram, & ex utrauis falsa, cõcludamus alteram esse falsam. Quo circa si harum una sit contingens, & eius inuersa pariter erit cõtingens. Cæterùm uniuersalis aiens in particularem aientem, non reciprocatur: nec enim efficitur ex eo quòd hoc pronunciatum sit contingens, omnis, inquam, homo est rationis compos, quòd hæc sit contingẽs, aliquod rationis compos est homo. Prior enim potest esse uera & falsa, posterior uerò, ita est uera, ut non possit esse falsa. Atq; ita efficitur ut prima sit contingens, non eius inuersa.

Ratiocinatio verò, est oratio, in qua nonnulla ita ponuntur, vt diuersum quid ab eis necessariò efficiatur, quia ea ita sint.

Aristoteles primo cap. primi Priorum ita finit syllogismum, Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. id est, Ratiocinatio est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam, quàm quæ posita sunt efficitur necessariò, eò quòd hæc sunt. Constat autem syllogismus omnis perfectus minimùm tribus terminis, primo, medio, ac tertio. Primus, alio nomine dicitur maius extremum: tertius, aliter nominatur, minus extremum. Ex his conficiũtur

tria

tria pronunciata, Propositio seu maior, Assumptio seu minor, & Conclusio seu consequens. Antecedens appellatur, quod constat ex propositione & assumptione. Consequentis munus est extrema conferre adinuicem, primum tribuendo tertio in directa conclusione: uel uice uersa, primum dicendo de tertio, quod fiet indirectè seu inuersim. Antecedentis partes comparare medium cum utroq; extremo, in propositione quidē cum primo, in assumptione uerò cum tertio. Quo fit ut triplex occurrat medij cum extremis comparandi differentia, uel enim fit subiectum primi, & attributum tertij: uel utriusq; quidem attributū, uel utriusq; subiectum. si primum, appellatur huiusmodi cōparatio σχῆμα πρῶτον, prima figura: si alterum, σχῆμα δεύτερον, id est, secunda figura: si tertium, σχῆμα τρίτον, id est, tertia figura. Ex quibus colligitur maius extremū in prima dici, cuius mediū fit subiectum, & illud cui medium attribuitur, minus extremum. Atq; ita fit, ut solùm sint tres figuræ, ut Aristote. docet, non autem locum habeat quarta, quam Galenus statuit: quandoquidem hæc argumentatio, omnis homo est animal, & omne animal est substantia, ergo omnis homo est substantia, protinus eiusdem est figuræ ac formæ, atq; hæc, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia: quoniam in utraq; idē est maius, idemq; minus extremum, similisq; medij cum extremorū utroq; collatio, eadēq; conclusio, eademq; propositio, & eadem assumptio. Peculiares singularum figurarum ratiocinandi normæ, nominibus summa industria excogitatis, etsi barbaris, utilißimis tamen deprehenduntur. Dicūtur autem in prima figura, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, directi, hoc est, primū de tertio concludentes. Indirecti, dico, tertium de primo colligentes, nominantur in prima, Baralipton, Celantes, Dabitis, Papesmo, Frisesomorum. In secunda directè concludunt, Cesare, Camestres, Festino, Baroco. In tertia directè pariter concludentes nuncupātur, Darapti, Felapton, Dissamis, Datisi, Bocardo, Ferison. In quibus percipiendis aduerte uocalem, a, in prima syllaba cuiusuis harum dictionum, propositionis uicē gerere, quam deßignat esse debere uniuersalem aientem, eadem secundo loco nos monet, ut assumptio sit uniuersalis affirmans, conclusionē refert uniuersalem, similiter & aientem. Nec absimiliter, e, primo loco propositionem, assumptionem in secunda syllaba, & in tertia conclusionem indicat uniuersalem, atq; negantem. I, primo loco propositionem, altero

P minorem

minorem, tertio conclusionem, præ se fert, quæ sit in parte, quæq; sit affirmatio. O, designat particularem negantem, si, inquã, sit in prima syllaba propositionem, assumptionem: si sit in altera, & conclusionem, si sit in tertia. Moliri uis syllogismum in, Barbara, consule quidem primam figuram, deinde uerò dictionis, Barbara, uocales. Quarum prima te monet, quòd propositionem facias uniuersalem aientem: altera, ut assumptionem qualitate & quantitate propositioni parem: tertia, ut tantundẽ in cõclusione præstes, docet. Vt sumptis tribus elementis, a, b, c, uice terminorum (quod facit Aristot. ad ostendendum non sua interesse quibus utaris terminis, dum decens forma conseruetur) syllogismum conficies in hunc modum.

γράμματα
Barbara
a, a, a,

Omne b, est, a: A maius extremum
omne c, est b: B medium
igitur,
omne c, est a. C minus extremum.

Et simili stylo te geres in reliquis, ut

in ἔγραψε
Celarent
e, a, e.

Nullum b, est a: A maius extremum
omne c, est b: B medium
ergo,
nullum c, est a. C minus extremum.

in γραφίδι
Darij
a, i, i.

Omne b, est a: A maius extremum
aliquod c, est b: B medium
ergo,
aliquod c, est a. C minus extremum.

in τεχνικὸς
Ferio,
e, i, o.

Nullum b, est a: A maius extremum
aliquod c, est b: B medium
ergo,
aliquod c, nõ est a C minus extremum.

In secunda figura.

In

in ἔγραψε	*Nullum a, est b:*	A *maius extremum*
Cesare	*omne c, est b:*	B *medium*
e, a, e.	*ergo,*	
	nullum c, est a.	C *minus extremum.*

in κάτεχε	*Omne a, est b:*	A *extremum maius*
Camestres,	*nullum c, est b:*	B *medium*
a, e, e,	*ergo,*	
	nullum c, est a.	C *extremum minus,*

in μέτριον	*Nullum a, est b:*	A *maius extremum*
Festino	*nullum c, est b:*	B *medium*
e, i, o	*ergo,*	
	aliquod c, non est a.	C *minus extremum.*

in ἄχολον	*Omne a, est b:*	A *maius extremum*
Baroco	*aliquod c, nõ est b:*	B *medium*
a, o, o,	*ergo,*	
	aliquod c, nõ est a.	C *extremum minus.*

In tertia figura:

in ἅπασι	*Omne b, est a:*	A *extremum maius*
Darapti	*omne b, est c:*	B *medium*
a, a, i.	*ergo,*	
	aliquod c, est a.	C *extremum minus*

in σθεναρὸς	*Nullum b, est a:*	A *maius extremum*
Felapton	*omne b, est c:*	B *medium*
e, a, o.	*igitur,*	
	aliquod c, nõ est a.	C *minus extremum:*

in ἰσάκις	*Aliquod b, est a:*	A *extremum maius*
Dissamis	*omne b, est c:*	B *medium*
i, a, i.	*ergo,*	
	aliquod c, est a.	C *minus extremum,*

in	ὀσυίδι Datisi a, i, i.	Omne b, est a: aliquod b, est, c: ergo, aliquod c, est a.	A maius extremum B medium C minus extremum.
in	ὁμαλος Bocardo o, a, o,	Aliquod b, nõ est a: omne b, est c: ergo, aliquod c, nõ est a.	A maius extremum B medium, C minus extremum.
in	φίρισον Ferison e, i, o,	Nullum b, est a: aliquod b, est, c: ergo, aliquod c, nõ est a.	A maius extremum B medium C minus extremum.

Sunt autem prædicti omnes directi nuncupati, nimirum quia primũ de tertio concludunt. ut indirecti dicuntur, qui colligunt uicersim tertium de primo. Cuiusmodi sunt, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Baralipton a, a, i.	Omne b, est a: omne c, est b: ergo, aliquod a, est c:	A maius extremum B medium C minus extremum.
Celantes e, a, e.	Nullum b, est a: omne c, est b: ergo, nullum a, est c.	A maius extremum B medium C minus extremum.
Dabitis a, i, i.	Omne b, est a: aliquod c, est b: ergo, aliquod a, est c.	A maius extremum B medium C minus extremum.

Fapes-

Fapesmo.	Omne b, est a:	A	maius extremum
	nullum c, est b:	B	medium
a, e o.	ergo,		
	aliquod a, nõ est c.	C	minus extremum.

Frisesomorum	Aliquod b, est a.	A	maius extremum
	nullum c, est b:	B	medium
i, e, o,	ergo,		
	aliquod a, nõ est c.	C	minus extremum.

Instar horum confici possunt, tum in secunda, tum etiam in tertia indirecti syllogismi: quippe cùm ex eisdem sumptionibus, ex quibus conclusio colligitur, ex eisdem & huius inuersa necessaria consecutione reciprocatur, pariter efficitur: ut cõuersa conclusione in Cesare, sic fit ratiocinatio: nullum, à, est, b: omne, c, est, b: ergo nullum, a, est, c. Nec absimiliter ex directo, inquam, Camestres, indirectum syllogismum efficimus ad hunc modum: omne, a, est, b: nullũ, c, est, b: ergo nullum, a, est c. Quicquid enim est antecedens antecedentis, idem est, & consequentis: & exaduersum, quicquid est consequens consequentis, idem erit consequens & antecedentis. ut una regula præmonueramus initio harum institutionũ. Pariter in tertia figura simplici, ut aiunt, inuersione conclusionem reciprocantes, facimus indirectum huiusmodi syllogismum: omne, b, est, a: omne, b, est, c: ergo aliquod, a, est, c. Nec dispar est in reliquis ratio, dico quidem in his, quorum conclusio colligitur aiens: nam in his, quorum conclusio negans est, quia non ualet reciprocari, neq; simpliciter, neq; per accidens (ut aiunt uulgò) sanè nulla fit indirecta ratiocinatio, hac in tertia ratiocinandi norma, seu figura. Syllogismi igitur omnes, quos præscripsimus, appellamus constantes, quia quibuslibet terminis, à quouis excogitatis, & horum elementorum uicem, ita ut monuimus dispositis, dum aliqua ex his forma seruetur, nunquam euenire potest, ut aßignetur antecedens uerum, & consequens falsum. Cõtrà, reliquos omnes, qui quidem ab horum instituto discedunt, incõstantes uocamus. Aristo. hoc argumento decernit syllogismum esse incõstantem, quòd eadem ad unguem obseruata forma, nunc in hac materia deprehendatur conclusio uniuersalis aiens, quæ uera sit: nunc in illa uniuersalis negans, quæ pa:

riter sit uera. Itaq; forma hæc argumentandi censetur inconstans (quod fiat in prima figura directè concludendo, nitaturq; propositione, quæ in parte) aliquod, b, est, a: omne, c, est, b: igitur omne, seu si mauis aliquod, c, est, a. Asignantur enim termini sub hac forma, in quibus euenit conclusionis attributũ omni significato cõtento subiecto inesse, nec nõ termini, in quibus eueniat ut nulli. Termini quidem, quibus primus postremo omni ex parte conuenit, sunt, uitæ cõpos, animal homo: in quibus cum aliquod animal uiuat, & omnis homo sit animal simul euenit, ut omnis homo sit uitæ cõpos. Termini uerò, quibus nulla ex parte primus tertio congruat, sub eadẽ antecedentis forma sunt, equus, animal, homo: in quibus euenit, ut simulatq; aliquod animal est equus, & omnis homo est animal, uera reperiatur conclusio, quæ sit uniuersalis negans, ut pote, nullus homo est equus. Et similis est obseruanda ratio in omnis collectionis inconstantia dijudicanda. Ex prædictorum, quibus formulas ratiocinandi constantes præscribimus uocabulorum significatione, hac

Append. 1. colligimus appẽdices. Ex utraq; negãte, nihil rectè colligitur. Termini, quibus primus postremo quadret omnino, rationis compos, equus homo:

Append. 2. quibus nulla ex parte cõueniat, elephas, equus, homo. Secunda, ex utraq; speciali, nihil potest cõcludi: Termini, quibus maius extremũ minori cõueniat omni ex parte, animal, currens, homo: quibus uerò nulla ex parte, equus, animal, homo. Tertia si altera sumptionum sit specialis, conclusio

Append. 3. uniuersa esse nequit, ut non rectè colligitur, omne animal sentit: aliquod

Append. 4 uiuens est animal: omne igitur uiuẽs sentit. Quarta ex alterà sumptionũ negante, nunquam conclusio colligitur aiens, ut non rectè colligerem, nullum animal est lapis, aliquod uiuens est animal: ergo aliquod uiuens est lapis. Pertinent autem hæ quatuor appendices ad omnem figuram peculiariter. Quinta, in prima figura directè concludendo, ex maiore

Append. 5. speciali nihil concludimus, ut si diceres, aliquod, b, est, a, omne, c, est, b: aliquod igitur, c, est, a. Termini, quibus eueniat ut primus in postremo sit omni, rationis compos, animal, homo: quibus primus nulla ex parte insit, equus, animal, homo. Sexta, si minor sit negans, nihil directè con-

Append. 6 cluditur in prima, ut non rectè colligerem, omne, b, est, a: nullum, c, est, b: ergo aliquod, c, non est, a. Verba quibus primum postremæ parti conueniat omni sunt, uiuens, animal, arbor: quibus nulli, animal, homo, aurum.

Append. 7 Septima, In secunda figura propositione speciali nihil conuincimus, ut

non

non rectè colligerem, aliquod,a,non est,b:omne,c,est,b:igitur aliquod, c,est,a: neq; etiam consequeretur aliquod,c, non esse, a.Termini,quibus primus in tertio sit omni, animal, brutum, equus:quibus nulli postremo primus insit, lapis,animal,brutum. Octaua, *Aiens conclusio in secunda figura colligi non potest,ut non rectè consequitur, aliquod,a,non est,b: omne,c,est,b:igitur aliquod,c,est,a. Termini,quibus eueniat, ut,a,omni c,conueniat,sunt,animal,brutum, equus:termini in quibus nulla ex parte primus tertio inest sunt, equus,rationis compos, & homo.* Nona,*in tertia nunquam colligitur uniuersa,ut non rectè concluderem,sic ego cōnectens,omne,b,est,a:omne,b,est,c:ergo omne,c,est a. Termini quidē, in quibus primus omni ex parte tertio inest,uiuēs,homo,animal: in quibus uero nulla ex parte,nequeunt, nā ex eo consequerentur duæ contradicentes simul ueræ.Circa quod aduerte,ubi antecedentis uitio contingit inconstātem esse syllogismum,tum aßignari posse terminos, & conclusio uniuersalis aiens, & uniuersalis negans uera deprehendetur:at ubi conclusionis uitio syllogismus delinquit, nunquam aßignabuntur termini, quorum primus in toto tertio sit,& etiam idem in eodem nullo.* Decima,*In quauis figura quilibet,trium terminorum bis comparatur,nunc cum uno reliquorum,nunc uerò cum altero.Itaq; cum utroq; comparandus est una & eadem ratione, ut sit idem utrobiq;, & uoce tenus, & reuera. Quo circa medium cum extremorum utroq; dum comparatur,eadem ratione debet conferri. Pariter in antecedente cum medio, & in conclusione cum tertio eadem debet significatione conferri,nec non tertius in antecedēte cum medio, & in consequente cū primo* συνωνύμως *debet cōparari.syllogismus minimè cohæreat, nullum animal est species,sed homo est species,homo igitur non est animal:quia in aßūptione,homo sumitur secunda institutione, prima uerò in conclusione.*

Append. 8

Append. 9

Appen. 10

Appellantur quatuor syllogismi primæ figuræ directè concludentes perfecti: reliqui uerò imperfecti,non quidem quòd reliquis præstent ui, & robore consecutionis:sed quòd elegantius & menti nostræ familiarius id faciant:tum etiam quia concludunt omnia genera enunciationū, uniuersalem aientem,Barbara conficit: Celarēt uniuersalem negantem: particularis aiens efficitur in Darij: particularem negantem in Ferio concludimus. Cæterùm in indirectis primæ conclusionem desideramus uniuersam

		b.		b.	
Prop.	*Omne b,eſt a:*	*Ba*		*Bar*	*Omne b,eſt a:*
Aſſum.	*ſed omne c,eſt b:*	*ra*		*ba*	*ſed omne c,eſt b:*
	ergo,				*ergo*
Conc.	*aliquod a,eſt c,*	*lip*	*p*	*ra.*	*omne ,c,eſt a:*

Similiter,Celantes propter primum elementum, c,reducetur ad Celarent,ſub hac forma:nimirum præſtãdo id quod monet litera,s,in tertia ſyllaba,id eſt,inuerſa concluſione ſimpliciter:ut ſubſequens formula ponit ob oculos.

		c		c	
Propo.	*Nullum b,eſt a:*	Ce		Ce	*Nullum b,eſt a:*
Aſſum.	*omne c,eſt b:*	*lan*		*la*	*omne c,eſt b:*
	ergo,				*ergo,*
Concl.	*nullum a,eſt c.*	*tes.*	S	*rent.*	*nullum c,eſt a.*

Dabitis,non abſimili ſtylo reuocabitur in Darij,& par erit iudiciũ in reliquis:ut ſubſcriptæ formulæ planè commonſtrant.

		d		d	
Propo.	*Omne b,eſt a:*	Da		Da	*Omne b,eſt a:*
Aſſum.	*aliquod c,eſt b:*	*bi*		*ri*	*aliquod c,eſt b:*
	ergo				*ergo,*
Concl	*. aliquod a,eſt c.*	*tis.*	S	*i.*	*aliquod c,eſt a.*

		f			f	
Propo.	*Omne b,eſt a:*	Fap	p.	╳	Fe	*Nullum b,eſt c:*
Aſſum.	*nullum c,eſt b:*	*es*	S.		*ri*	*aliquod a,eſt b:*
	ergo,					*ergo.*
Concl.	*aliquod a,nõ eſt c.*	*mo.*	*m.*		*o.*	*aliqđ a,nõ eſt c.*

		f.			f.	
Propo.	*Aliquod b,eſt a:*	Fris	S.	╳	Fe	*Nullum b, eſt c:*
Aſſum.	*nullum c,eſt b:*	*es*	S.		*ri*	*aliquod a, eſt b:*
	ergo,					*ergo*
Concl.	*aliquod a,non eſt c:*	*om.*	*m.*		*o,*	*aliqđ a , nõ eſt c.*

Q Prop

		c		c	
Prop.	Nullum a, eſt b:	Ces	s	Ce	Nullum b,eſt a:
Aſſu.	omne c,eſt b:	a		la	omne c, eſt b:
	ergo,				ergo,
Con.	nullum c,eſt a.	re.		rēt.	nullum c,eſt a.

		c		c	
Pro.	Omne a, eſt b:	Cam	m	Ce	Nullum b, eſt c:
Aſſu.	nullum c,eſt b:	es	S	la	omne a,eſt b:
	ergo,				ergo,
Con.	nullum c,eſt a	tes.	S	rent.	nullum a,eſt c.

		f		f	
Pro.	Nullum a,eſt b:	Fes	S	Fe	Nullum b,eſt a:
Aſſu.	aliquod c,eſt b:	ti		ri	aliquod c,eſt b:
	ergo,				ergo,
Con.	aliquod c,nō eſt a.	no:		o.	aliquod c,non eſt a.

		b		
Pro.	Omne a,eſt b:	Ba		Monitu elementi c,interſcripti, monemur quòd minimè ualeat in Barbara reuocari admini- cula reciprocatione.
Aſſu.	aliquod c,nō eſt b:	ro		
	ergo,			
Con.	aliquod c,nō eſt a.	co.	c	

		d		d	
Pro.	Omne b,eſt a:	Da		Da	Omne b, eſt a:
Aſſu.	omne b,eſt c:	rap	p	ri	aliquod c,eſt b:
	ergo,				ergo,
Con.	aliquod c,eſt a.	ti.		i.	aliquod c,eſt a.

		f		f	
Pro.	Nullum b,eſt a:	Fe		Fe	Nullum b,eſt a:
Aſſu,	omne b,eſt c:	lap	p	ri	aliquod c,eſt b:
	ergo,				ergo,
Con.	aliquod c,nō eſt a.	ton.		o.	aliquod c,non eſt a.

Propoſi-

		d		d		
Pro.	Aliquod b,est a:	Dis	S	Da	Omne b,est c:	
Assu.	omne b,est c:	am	m	ri	aliquod a,est b:	
	ergo,				ergo.	
Con.	aliquod c,est a,	is.	S	i.	aliquod a,est c.	

		d		d	
Pro.	Omne b,est a:	Da		Da	Omne b, est a:
Assu.	aliquod b,est c:	tis	S	ri	aliquod c,est b:
	ergo,				ergo,
Con.	aliquod c,est a.	i.		i.	aliquod c,est a.

		b		
Pro.	Aliquod b,nō est a:	Bo		Litera c,interscripta nos do-
Assu.	omne b,est c:	car	c	cet quòd non ualeat ad Bar-
	ergo,			bara reuocari,nisi syllogismo
Con.	aliquod c,nō est a.	do.		ducente ad incommodum.

		f		f	
Pro.	Nullum b, est a:	Fe		Fe	Nullum b,est a:
Assu.	aliquod b,est c:	ris	S	ri	aliquod c,est b:
	ergo,				ergo,
Con.	aliquod c,nō est a.	on.		o.	aliquod c,non est a.

Reductio syllogismorum secūdæ figuræ in perfectos primæ ope syllogismi ducentis ad incommodum una regula nititur, & altera syllogismi tertiæ figuræ. Est autem syllogismus ducens ad incommodum, syllogismus, qui ex negata, quæ prius proposita est, argumentatione, duas contrarias, uel contradicentes colligit esse ueras, quod est impoßibile. Ex quo fit ut prioris argumentationis abnegatæ inconstantia, concludatur pariter impoßibilis, quod hac euenit ratione.

Prima regula.

In secunda figura propositione sumpta pro maiori, & contradicē te conclusionis delecta in assumptionem, concluditur contradicens minoris ut si neges consecutionem in, Cesare, Nullum, inquam, a, est, b: sed omne, c, est, b: nullum igitur, c, est, a. potest igitur aßignari antecedens

 uerum

uerum, & consequens falsum. Conueniat inter nos, quod iam fuerit assignatũ, tunc sic aio: antecedens, inquis, est uerum: ergo utraq; sumptionum est uera, tum propositio, nullum, a, est, b: tum assumptio, omne, c, est, b. Rursus consequens ais esse falsum, ergo eius contradicens est uera, utpote aliquod, c, est, a: Iam ex concessis sic ego molior syllogismum in Ferio, nullum, a, est, b: aliquod, c, est, a: ergo aliquod, c, non est, b. Atqui prius in assumptione tribueras, omne, c, esse, b: duas igitur compelleris contradicentes in eodem instanti ueras abnegata priori consequutione, Cesare, quod est impoßibile. Illud igitur, cuius causa id colligitur, nempe consequentiam in Cesare constructam inconstantem esse, similiter est impoßibile. Reliquum est igitur ut syllogismum in, Cesare, constantem esse animum inducamus.

Eademq; in reliquis eiusdem figuræ corroborãdi forma conseruabitur, ut sequentibus formulis commonstratur.

Ces	Nullum a, est b:	Pro.		Pro.	Nullum a, est b:	Fe
a	omne c, est b: ergo,	Aſſ.	cõtradicens assumptio.	Aſſ.	aliquod c, est a: ergo	ri
re.	nullum c, est a.	Con.	cons. cõclusiõn.	Con.	aliquod c, nõ est b.	o.
Cam	Omne a, est b:	Pro.		Pro.	Omne a, est b:	Da
es	nullum c, est b: ergo,	Aſſ.	cõtradicens assumptio.	Aſſ.	aliquod c, est a: ergo,	ri
tres.	nullum c, est a.	Con.	cons. cõclusion.	Con.	aliquod c, est b.	i.
Fes	Nullum a, est b:	Pro		Pro.	Nullũ a, est b:	Ce
ti	aliquod c, est b: ergo,	Aſſ.	cõtradicens assumptio.	Aſſ.	omne c, est a: ergo,	la
no.	aliquod c, nõ est a.	Con.	cons. cõclusion.	Con.	nullum c, est b.	rent.
Ba	Omne a, est b:	Pro.		Pro.	Omne a, est b:	Bar
ro	aliquod c, nõ est b: ergo,	Aſſ.	cõtradicens assumptio.	Aſſ.	omne c, est a: ergo,	ba
co.	aliquod c, nõ est a.	Con.	cons. cõclusion.	Con.	omne c, est b.	ra.

In tertia figura ex contradicente conclusionis selecta in propositionem, & assumptione sumpta in minorem fiet contraria, uel contradicēs propositionis, ut subsequentibus formulis indicatur. Secunda regula.

Da	Omne b, est a:	Pro.	propositionis contraria / cōtradicē	Pro.	Nullum c, est a:	Ce
rap	omne b, est c:	Ass.		Ass.	omne b, est c:	la
	ergo,				ergo,	
ti.	aliquod c, est a.	Con.	cōclusio.	Con.	nullum b, est a.	rent.

Fe	Nullum b, est a:	Pro.	propositionis cōtraria / cōtradicē	Pro.	Omne c, est a:	Bar
lap	omne b, est c:	Ass.		Ass.	omne b, est c:	ba
	ergo,				ergo,	
ton.	aliquod c, nō est a.	Con.	cōclusio.	Con.	omne b, est a.	ra.

Dis	Aliquod b, est a:	Pro.	propositionis contrad. / cōtradicē.	Pro.	Nullum c, est a:	Ce
am	omne b, est c:	Ass.		Ass.	omne b, est c:	la
	ergo,				ergo,	
is.	aliquod c, est a.	Con.	cōclusio.	Con.	nullum b, est a.	rent.

Da	Omne b, est a:	Pro.	propositio contradicens. / cōtradicē.	Pro.	Nullum c, est a:	Fe
tis	aliquod b, est c:	Ass.		Ass.	aliquod b, est c:	ri
	ergo,				ergo,	
i.	aliquod c, est a.	Con.	cōclusio.	Con.	aliquod b, nō est a.	o

Bo	Aliquod b, nō est a:	Pro.	prop. contradicens. / cōtradicē.	Pro.	Omne c, est a:	Bar
car	omne b, est c,	Ass.		Ass.	omne b, est c:	ba
	ergo,				ergo,	
do.	aliquod c, nō est a.	Con.	conclu.	Con.	omne b, est a.	ra.

Fe	Nullum b, est a:	Pro.	Propo. contradicens. / contradi.	pro.	Omne c, est a:	Da
ris	aliquod b, est c:	Ass.		Ass.	aliquod b, est c:	ri
	ergo,				ergo,	
on.	aliquod c, nō est a.	Con.	conclu.	Con	aliquod b, est a.	i.

Cōmonstramus autem syllogismo ducente ad incommodum, non so-

lùm syllogismos secundæ, ac tertiæ figuræ: uerùmetiam quatuor illos primæ, ut in proximè subscriptis descriptiunculis euadit manifestum.

Bar	Omne b, est a:	Pro.		Pro.	Omne b, est a:	Ba
ba	omne c, est b:	Ass.	Assũpti. contradicens. contra.	Ass.	aliquod c, nõ est a:	ro
	ergo,				ergo,	
ra.	omne c, est a.	Con.	conclu.	Con.	aliquod c, nõ est b.	co.

In qua quidẽ liquet nos, dum ex, Barbara, facimus, Baroco, id obseruandum, quòd eandem imitemur normam ducendi ad incommodum, quam sequuti sumus in secunda figura, ubi, Baroco, uertebamus, in Barbara. In altera uerò, quæ iam subsequitur, qua nimirum, Barbara, reducimus in Bocardo, regulam imitamur, quam obseruauimus in tertia reducentes, Bocardo, in, Barbara: ut planè cernes in hac formula.

Bar	Omne b, est a:	Pro.	proposi. contradicens. contradici.	Pro.	Aliquod c, nõ est a:	Bo
ba	omne c, est b:	Ass.		Ass.	omne c, est b:	car
	ergo,				ergo,	
ra	omne c, est a.	Con.	conclu.	Con.	aliquod b, nõ est a.	do.

Ce	Nullum b, est a:	Pro.		Pro.	Nullum b, est a:	Fe
la	omne c, est b,	Ass.	Assũpt. contradicens. contrad.	Ass.	aliquod c, est a:	ti
	ergo,				ergo,	
rent.	nullum c, est a.	Con.	concl.	Con.	aliquod c, nõ est b.	no.

Ce	Nullum b, est a:	Pro.	proposi. contradicens. contradic.	Pro.	Aliquod c, est a:	Di
la	omne c, est b:	Ass.		Ass.	omne c, est b:	am
	ergo,				ergo,	
rent.	nullum c, est, a.	Con.	conclusi.	Con.	aliquod b, est a.	is.

Da	Omne b, est a:	Pro.		Pro.	Omne b, est a:	Cam
ri	aliquod c, est b:	Ass.	Assũpti. contradicens. contrad.	Ass.	nullum c, est a,	es
	ergo,				ergo,	
i.	aliquod c, est a.	Con.	concl.	Con.	nullum c, est b.	tres.

Da-

Da	Omne b, est a:	Pro.	propositio contradicens	Pro.	Nullum c, est a	Fe
ri	aliquod c, est b:	Aſſ.		Aſſ.	aliquod c, eſt b:	ris
	ergo,				ergo,	
i.	aliquod c, eſt a.	Con.	cõcluſio. cõtradic.	Con.	aliquod b, nõ eſt a.	on.

Fe	Nullum b, eſt a:	Pro.		Pro.	Nullum b, eſt a:	Ces
ri	aliquod c, eſt b:	Aſſ.	aſſumptio cõtradicens	Aſſ.	omne c, eſt a.	a
	ergo,				ergo,	
o.	aliquod c, nõ eſt a.	Con.	cõclu. cõtradic.	Con.	nullum c, eſt b.	re.

Fe	Nullum b, eſt a:	Pro.	propoſitionis contradic.	Pro.	Omne c, eſt a:	Da
ri	aliquod c, eſt b:	Aſſ.		Aſſ.	aliquod c, eſt b:	tis
	ergo,				ergo,	
o.	aliquod c, nõ eſt a.	Con.	cõcluſio. contradic.	Con.	aliquod b, eſt a.	i.

Quinq; modi inuerſo quidem ordine concludentes in prima, directi ſi fiant, quo pacto ſint corroborandi ſyllogiſmo ducẽte ad incommodũ iam dudum ſatis expoſuimus: ſi uerò ita ut indirecti ſunt uelis ad incõmodum ducere, delige contradicentem concluſionis in propoſitionẽ, & propoſitionem in aſſumptionem, concludendo contradicentis aſſumptioni uel contrariæ inuerſam, quæ poſtea reciprocabitur in contrariam, uel contradicentem aßumptionis. Quæ regula obſeruanda eſt in, Baralipton, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum: in, Celantes uerò locum nõ habet. At uerò qua ratione ſyllogiſmus in Celantes negatus duci debeat ad incõmodum, peculiariter explicabitur. Itaq; aſſumptio, Celantes, ſumi debet pro maiori, contradicens concluſionis pro minori colligendo inuerſam, in quam inuerſione ſimplici receprocatur contradicens propoſitionis, ut ſequentibus deſcriptionibus utrumq; liqueſcit.

Ba	Omne b, eſt a:	Pro.		Pro.	Nullum a, eſt c:	Ce
ra	omne c, eſt b,	Aſſ.	aſſũpt. cõtra. inuerſa.	Aſſ.	omne b, eſt a,	la
	ergo,				ergo,	
liptõ.	aliquod a, eſt c.	Con.	cõcl. contradicens	Con.	nullum b, eſt c.	rent.

Ce	Nullum b, eſt a,	Pro.		Pro.	Omne c, eſt b,	Da
lan	omne c, eſt b,	Aſſ.	propoſit. cont. inuerſa.	Aſſ.	aliquod a, eſt c,	ri
	ergo,				ergo,	
tes.	nullum a, eſt c,	Con.	conclu. contrad.	Con	aliquod a, eſt b.	i.

Dabitis

Da	Omne b,eſt a:	Pro.	Aſſũp. cõtradicens.	Pro.	Nullum a,eſt c:	Ce
bi	aliquod c,eſt b:	Aſſ.		Aſſ.	omne b,eſt a:	la
	ergo,				ergo,	
tis	aliquod a,eſt c:	Con.	conclu. cõtradi. inuerſa.	Con.	nullum b, eſt c.	rent.

Fap	Omne b,eſt a:	Pro.	Aſſũp. cõtradis.	Pro.	Omne a,eſt c:	Bar
es	nullum c,eſt b:	Aſſ.		Aſſ.	omne b,eſt a:	ba
	ergo,				ergo,	
mo	aliquod a,nõ eſt c.	Cõ.	conclu. cõt. inuerſa.	Con	omne b,eſt c.	ra.

Fris	Aliquod b,eſt a:	Pro.	Aſſũpt. cõtradicens.	Pro.	Omne a,eſt c:	Da
es	nullum c. eſt b:	Aſſ.		Aſſ.	aliquod b, eſt a:	ri
	ergo,				ergo,	
om	aliquod a,nõ eſt c.	Cõ.	conclu. cõtra. inuerſa.	Con.	aliquod b,eſt c.	i.

Diximus hactenus de formarum normis in triplici figura, nunc reliquum eſt ut methodum præſcribamus: dico ad materiæ delectum accommodatam. Itaq; quæſtio propoſita, ſeu quoduis pronũciatum, quod proponatur nobis concludendum, duo ſubminiſtrat extrema. primum inquã terminum ac tertium. Quo fit ut materiam inueniendi, ſeu eligendi ratio tota uerſetur circa medium excogitandum. Diſſerendum igitur nobis eſt de huius inuẽtione in uniuerſum, quantùm attinet ad præſens inſtitutum: nam ſigillatim de inuentione medij ad unamquamq; ſubiectam materiam congruentis in Topicis uberiùs erit nobis agendum.

Iam verò nobis exponendũ eſt hoc loco, quo pacto ratiocinationũ copia nobis ſuppetat ad quæſtionem, quaq; via ac ratione initia in vnaquaq; ſumamus.


His uerbis aggreditur Ariſt. 20. cap. primi libri Prioris reſolutionis artem inueniendi medium in uniuerſum, ad quoduis genus enũciationis concludendæ accomodatam: id quod ſubſequentibus regulis ex Ariſt. textu decerptis euadet perſpicuum. Prima regula. *Ad colligendam uniuerſalem aientẽ, deligendum eſt medium, quod ſit ſubiecti conſequens, & antecedens attributi. appello*

buti. appello quidem consequens, quod necessariò sequitur ex altero: antecedens, id ex quo necessariò consequitur alterũ. Quod ut faciliùs percipias, primùm omnium obserua subiectum, & attributũ efficiendæ conclusionis: deinde consule utriusq; Categoriam, in qua reponãtur: ea enim ob oculos tibi proponet antecedentia, & consequentia. Itaq; genus speciei, species indiuidui, differentia, proprium, & accidens, quod separari nequit sui subiecti sunt consequentia. Cæterùm quicquid est consequens consequentis, est consequẽs antecedentis, ut superiùs in regulis admonuimus. Si proponatur igitur tibi quòd omnis homo sit substantia, medium habes in Barbara consentaneum quoduis horum, corpus, inquam, uiuẽs, animal, corporeum, uitæ compos, sensus particeps, & rationis compos. Nec non quoduis proprium uel accidens inseparabile cuiusuis horum: siquidẽ horum quodq; consequens est hominis, & substantiæ antecedens. Dices igitur sub hac forma, omne animal est substantia: omnis homo est animal: omnis igitur homo est substantia: & idem erit in reliquis habendum iudicium.

Fuerunt autem ob iuuentutis utilitatem & memoriæ beneficium excogitatæ dictiones à uiris de instituenda iuuentute optimè meritis, quæ quidem partim suis uocalibus, partim consonantibus nobis citra negotium summaq; industria singulæ singulas uenandi medij regulas præscriberent. Sunt autem huiusmodi dictiones, Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco, Gebali: quæ sex perutiles & constantes medij selectus nobis aperiunt.

Deinceps, Hedas, & Hecas, & Febas, trinam inueniendi medij rationem, eamq; inutilem subdunt. Vt uerò istorum uerborum intelligentiam consequare, imprimis aduerte quòd uocalis, A, idem designet atq; attributum: E, idem sonet atq; subiectum. Iam ipsi, A, in eadem syllaba coniungitur B, uel C, uel D: B, idem est atq; consequens, C, antecedens, D, uerò repugnans ipsi, A, hoc est, prædicato. Exaduersum cum uocali E, interdum cohæreat, F, interdum, G, interdum, H, ita ut, F, designet consequens ipsius E, id est, subiecti: G, uerò eiusdem antecedens, atq;, H, eiusdẽ E, repugnans, indicat. Id quod in subscripta figura liquido constat.

R Attributum



1.regula. *In,Fecana,igitur tertia uocalis designat tertiam, id est, conclusionē uniuersalem aientem : duæ uerò syllabæ primo loco constitutæ nos monent quale medium sit inueniendum ad hanc ipsam uniuersalem aientem concludendam. Nam prima syllaba, nempe, Fe, docet medium esse debere F, ipsius E, id est, consequens subiecti. Secunda syllaba, ut pote, Ca, idem medium*

medium ait esse debere, C, ipsius A, hoc est, antecedens prædicati. Quo fit ut idem quod prima regula dudum admonuimus uerbum, Fecana, nobis explanet. Ad colligendam particularem aientem inuestigandũ est medium quod sit utriusq; extremorum antecedẽs: tuncq; commodè concludi poterit particularis aiens, citra reductionis ostendentis adminiculum in Darapti, Disamis, ac Datisi: & reciprocationis beneficio in, Darij, & Dabitis. Idq; monet dictio, Cageti, cuius tertia uocalis est, I, id est particularis aiens: duabusq; primis syllabis admonemur medium esse deligendum quod sit, C, ipsius A, id est, antecedens attributi: necnõ idem sit, G, ipsius E, id est, antecedens ipsius subiecti: ut ad colligendũ, aliquod uiuens esse rationis compos, deligam hominem in medium, cuius consequens est, & uiuens, & rationis cõpos. Atq; sic ratiocinationem connectam in Darapti: Omnis homo est rationis compos: & omnis homo est uiuens: ergo aliquod uiuens est rationis compos. Idemq; medium congruet in Disamis, ac Datisi, ut liquet. 2. regula.

Vt colligatur uniuersalis negans, medium erit accommodatum, quod sit repugnans attributi, & idem subiecti sit consequens. Idq; nobis indicat dictio, Dafenes, cuius conclusio uniuersalis negans, significatur, per tertiam uocalem, dico, per E, ut colligatur. Duæ syllabæ primæ submonent medium esse inquirẽdum, quod sit D, ipsius A, idemq; sit F, ipsius E, id est, repugnans attributi, & consequens collatum subiecto. Idq; sine reductionis ostendentis industria fiet in, Celarẽt, & Cesare: reciprocationis uerò, seu conuersionis ui, in Celantes, & Camestres. Nam cum inuersione simplici conclusionis, quod est repugnans primi, & consequens tertij, uicißim repugnat tertio, & fit consequens primi: propter conclusionis inuersionem efficietur, nimirum quòd idem medium, quod est accommodatum ad, Cesare, idem deseruiat, & sit consentaneum in Camestres. Vt ad colligendum, nullum hominem esse binnientem, accersam, rationis compos, quod quidem hinnienti repugnat, & hominis est consequens, dicamq;: Nullum hinniens est rationis compos: omnis homo est rationis compos: ergo, nullus homo est hinniens. Eodem etiã utatur medio in, Camestres, hunc in modum: Omnis homo est rationis compos: nullum hinniens est rationis compos: ergo, nullum hinniens est homo. Ex hac autem conclusione inuersione simplici concludemus, quod prius optabamus, nempe quod, nullus homo sit hinniens. 3. regula.

4. regula. Ad colligendam uniuersalem negantem, medium erit congruēs, quod quidem subiecto sit repugnans, & sit consequens attributi: ut ad colligēdum, nullum hominem esse bouem, medium erit congruens, mugiēs, quod est consequēs boui, & repugnans homini. Siquidem in Camestres nulla reductionis ope fiet syllogismus, Omnis bos est mugiens, nullus homo est mugiens: ergo, nullus homo est bos. Simili modo eueniet in Celantes. Verùm idem medium erit conferens ad, Cesare, transpositis sumptionibus, & simpliciter inuersa conclusione. Ad, Celarent, etiam reductionis beneficio accommodabitur. Hæc regula appellatur Hebáre, quia tertia uocalis destinatur ad significandum conclusionem uniuersam, & negātem, primaq; syllaba, He; designat medium eligendum, quod sit, H, ipsius, E, id est, repugnans rei subiectæ: secunda syllaba, dico, Ba, designat quòd idem sit consequens attributi iuxta præscriptam harum literarū rationem.

Hebare.

5. regula. Ad eam, quæ in parte est, & negans concludendam inuestigandū est medium, quod sit antecedens subiecto, & repugnans attributo. Nuncupatur hæc regula, Gedaco: ut si colligere uelim, aliquod animal non esse rationis compos, deligam, equum, in medium: est enim antecedēs animalis & rationis compoti repugnat. Construamq; syllogismū: Nullus equus est rationis compos: & omnis equus est animal: ergo, aliquod animal nō est rationis compos. In Felapton simpliciter & sine reducendi arte: & Bocardo, & Ferison. Tantundem eueniet in Fapesmo, & Frisesom: ut Omnis equus est animal: nullū rationis particeps est equus: ergo, aliquod animal non est rationis particeps. At uerò si uim & rationem reuocādi obserues idem medium trasferetur ad usum modorum, Ferio, Festino, & Baroco.

Gedaco.

6. regula. Vt specialis aiens colligatur deligendum est medium, quod sit subiecti antecedens, & attributi sit consequens. Huic regulæ tribuitur nomen, Gebali, ut ad concludendum aliquod animal esse hominem, deligam in medium, rationis particeps, quod est consequens hominis, & animalis antecedens, fitq; legitimè & genuinè ratiocinatio in, Baralip, & Dabitis, in alijs his similibus per reductionem: ut, Omne rationis particeps est animal: omnis homo est rationis particeps: ergo, aliquod animal est homo. in Baralipton.

Gebali.

Hæq; sunt sex industriæ, quæ nobis medium ad constantem ratiocinationem

tionem accommodatum subministrant. Tres uerò inutiles formæ subiunguntur, in quibus ex indecenti medij cum extremis ratione forma argumentandi sui dißimilis & inconstãs proponitur. Huiusmodi sunt in quibus non apponitur tertia uocalis, quia nulla sequitur cõclusio perpetuò constans. Hedas designat, medium esse ineptũ, quod sit extremorũ utriq; repugnans. Hecas indicat, ineptum esse medium, quod sit subiecto repugnans, & antecedens attributo, quod quidem in syllogismis primæ figuræ directè colligẽtibus minimè cõuenire potest, neq; in syllogismis tertiæ, ne quidem in syllogismis secundæ, si ita sit subiectum primi, ut eiusdem non sit attributum. Quo fit ut non sit perpetua consequutio, nisi fiat indirecta conclusio: ut in Fapesmo, & Frisesom: ut, Omnis homo est animal: nullus lapis est homo: ergo, aliquod animal non est lapis. Febas assumit utriusq; extremorum consequens, proinde prædicatum aiendo facit utriusq; extremi. quod in secunda figura solùm fieri poßet, in ea uerò ex utraq; aiente nihil concluditur, ut superius iam satis admonuimus. In his terminis, brutum, animal, homo, non rectè consequitur: Omne brutũ est animal: omnis homo est animal: igitur, omnis homo est brutum. Illud autem nos non prætereat, quòd antecedens hoc loco ita debeamus interpretari, ut idem sit atq; subiectum, ex quo necessariò consequitur attributum. Contrà nuncupetur consequens attributum, quod necessariò sequitur ex subiecto: alioqui non rectè reprehenderetur Hecas, cum huius conclusionis comparatione, nullus homo est equus, medium sit consentaneum hinniens, quod repugnat quidem homini, simulq; est antecedens equo. Nam nisi nomine antecedens subiectũm intelligamus, ut dudũ exposui, ex quo necessariò prædicatum consequitur. falsum esset hunc medij delectum, quem Hecas præscribit, esse inualidum.

Efficitur ex his quòd his sex normis medij inueniendi contineatur uniuersa uis trium figurarum, siue directè, siue indirectè concludamus. Appendix. Secundo loco percipies his adminiculis quanti sint momẽti Categoriæ ad inuenienda media, & ad comparandam pronunciatorum suppellectilem, quandoquidem omnis quæstio duo proponit extrema: quorũ alterutrius quid sit antecedens quidq; consequens Categoria tanquam in propatulo ultrò proponit: ut si colligere uelim omnem paralyticum per se cohærere, medium Feeana me monet inuestigandum, quod sit antecedens attributi, consequensq; subiecti. Consulam igitur Categoriam 2. append.

in qua horum utrũq; reponatur, uel utrumuis. Itaq; cùm utrũq; in substantiæ serie coordinetur: citra negotium consultò essentiarum ordine planè occurrent in promptu, substantia, corpus, uiuens, animal, homo, corporeum, uitæ compos, sensus particeps, & ratione præditum: quorũ quodq; cernimus consequens esse paralytici, & antecedens eius quod est ex se constans. Quo fit ut Categoriæ substantiarum præsidio ad propositam in toto aientem enunciationem colligendam magna mediorum & pronunciatorum copia minimo negotio nobis aperiatur. Multò plura tradit Aristoteles duobus libris Prioris resolutionis de ratiocinandi methodo, sed quæ iuuentutis ruditati norma institutionis proponenda ducat hæc potißimùm sunt. Iam itaq; res ipsa postulat à nobis ut ad libros de Demonstratione progrediamur, in quibus ita uidetur Aristoteles exordiri.

Omnis doctrina, omnisq́ disciplina, quæ ratione & intelligentia perficitur, ex antecedente constat cognitione.

Id quod perspicuum erit, si singulas persequamur disciplinas.

Postquam disseruimus in proximè antecedenti consideratione de syllogismorum formis, nunc reliquum est ut ad materiam exactè discernendam quantum præceptorum ratio præstare potest, accedamus. Est enim in uniuersum triplex syllogismus, Demonstratio, inquã, Dialecticus, & Sophisticus. Qui quidem adinuicem discriminantur tum fine, tum subiecta materie. Finis enim Demonstrationis est scientia, syllogismi Dialectici, opinio: error uerò, Sophistici. Subiecta materies demõstrationis pronunciata sunt non solùm necessaria, sed etiam rata: Dialecticæ argumentationis uerisimilia, seu probabilia: Fallacis uerò ratiocinationis scopus est fraus, seu si mauis, falsa cõclusionis persuasio. Quo circa tres hæ syllogismorũ differentiæ tum subiecto, tum fine abinuicẽ discrepare solent. Illud autem aduertendum est, quòd proximè antecedentem syllogismorum rationem Aristot. inscripserit ἀναλυτικῶν προτέρων, hoc est, prioris resolutionis: Demõstrationis uerò tractationẽ ἀναλυτικῶν ὑστέρων, id est,

id est, posterioris resolutionis. Quod ut cõmodius percipiatur aduerte quod, ἀνάλυσις, Græcè idem sonet atq; resolutio Latinè. Est autem huic aduersa compositio, finitur sub hac forma. Analysis, inquam, est in ea, ex quibus quæq; res cõstat dissolutio. Vt enim res quæ componitur ex simplicibus coalescit, ita etiam nulla ipsa simplicia cùm in artis normã ducitur solet reuocari. Atq; ita fit ut simplicissima quæq; quouis in genere prima sint in compositione, ultimaq; in quæ fit resolutio. Vt enim ex literis conficiũtur syllabæ, ex his dictiones, ex quibus periodus, deincepsq; ut liquet suo ordine quoad bibliotheca ex uarijs librorum uoluminibus constet: ita uice uersa, si bibliothecæ uelim intelligentiam assequi, primũ quidem oculos conijciam in uarios eius ordines singulos intergemina, uel quatergemina, uel multiplicia, uel singula uolumina diuidens horum quodq; partitione dirimam in singulos libros: deinceps hos in singula capita, quorũ quodq; sigillatim in orationes, dictiones, syllabas, deniq; in simplicissimas literas partiar: atq; sic eueniet ut literæ dicãtur elemẽta, id est, prima in cõpositione, & ultima in diuisione. Dicetur autẽ Græcè, διαίρεσις, & ἀνάλυσις, quæ dicta est à Latinis resolutio, dissolutio, seu diuisio. quæ uerò Græcè, συναγωγή, Latinè, compositio, nominatur. Est autem aduertẽdum initia, seu principia syllogismi in gemina cerni differentia, siquidem altera pertinẽt ad materiam, ad formã altera. Libros igitur syllogismorum Aristoteles inscripsit Prioris resolutionis, quia in eis ex professo docet ingenium reuocandi omnes ratiocinandi formas tãquam principia, quibus corroborẽtur, & innitantur: in libris uerò de Demonstratione methodum nobis præscribit resoluendi, seu reuocandi quãuis argumentationem in principia subiectæ materiei, nimirum in principia demostrationum, quibus firmetur & rata censeatur conclusio, non solùm hoc nomine quod colligi percipiatur, quantum ad formã attinet, ex genuinis & constantissimis principijs, uerùm etiam quantum attinet ad materiam. Sed rogabis: Quare illa prior, hæc posterior appelletur Dissolutio? Dico id duplici causa fuisse Aristoteli consultum, imprimis quia resolutio, quæ ad formam spectat, promiscua est omnium ratiocinationum: quæ uerò ad materiam destinatur, peculiaris est solius Demonstrationis: id uerò, quod uniuersum est & generale naturæ ordine ac doctrinæ, ut iam hactenus admonuimus, proprio, & peculiari uenit anteponendum. Accedit etiam quod in

Dubium. I.

Solutio.

I. Ratio.

composi-

compositione posterius est, id fit prius in resolutione: quo fit ut materies in componenda re prius praeiaceat, quàm ei adhibeatur forma. Contrà resolutio prius fit in formam, quàm in materiam: ut in domo demoliēda prius subtrahitur forma, superstite adhuc ipsa materia. Atq; ita in lib. de syllogismo, docens nos quo ingenio quemuis syllogismum, quantū ad formā attinet, in initia & fontes à quibus omnes formae syllogismorum ducunt originem, reuocare ualeamus, prioris uocat resolutionis huiusmodi tractationem: at in libris de demonstratione, posteriorem uocat resolutionem, qua nobis aperit qualia demonstrationis principia, quantum ad materiam esse debeant, in quem numerum, & quo modo in ea sit facienda resolutio. Ambiges etiam, quare libros Topicorum, & Elenchorum, neq; prioris, neq; posterioris nuncuparit dissolutionis? Respondeo, nimirum id meritò & iurè factum: nam in syllogismo Dialectico, & elencho formarum initia eadem sunt, quae promiscua sunt aßignata omnium syllogismorum: in quae quo modo sit reducendus quiuis horum, iam statuit in libris inscriptis de priori resolutione. At uerò principia syllogismorum, ex quibus scienter, quantum ad materiam attinet, conclusio necessariò consequatur, & in quae poßit ex arte resolui, solùm suppetunt in Demonstratione, quae quidem scientia methodica constant, & perpetuò sunt sui similia: non autem locum habent in Topicorū & elenchorum consideratione, quandoquidem in his bona parte ducitur argumentum ab his, quae quidem probabilia sunt, non autem necessariò conuincentia.

Dubium.

Solutio.

Diximus de his, quae pertinebant ad titulum librorum de Demonstratione. Subiecta materia est ipsa demonstratio ratiocinationum, in quam omnium praeclarißima Aristoteles autor censetur omnium sententia. Finis ipsius, & institutum, est iuuentutem instruere ad uenandum scientiam adminiculo instrumento, dico, demonstratione. Vt enim praecipit primo capite Physicorum, tunc unumquodq; arbitramur scire, cùm principia & causas usq; ad elemēta cognoscimus. Sed incurres, Demonstratio subiecta materies dicta est, ergo non est instrumentum, siquidem Aristo. 2. libro Physicorum, agens de quadruplici causa, nos docet, materiem & efficientem nunquam concurrere: instrumentum autem idem ad efficientem refert. Quo circa non est uerò consonum Demonstrationem & materiam & instrumentum esse. Respondeo, diuersa quidem ratione nihil est incom

Res subiecta.
Autor.
Finis.
Obiectio.
Dilutio.

est incommodi, quod idem sit instrumentum, & materies. Nam Logico preceptiuo subiecta materies est in libris predictis Demõstratio: eadẽ est & instrumentũ, quo utitur Logicus adhibens precepta usui ad sciẽtiam comparandam.

Nunc ad textus explanationem recurramus, circa quem aduerte in textu Greco nos ita legere: Πᾶσα διδασκαλία καὶ πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως: hoc est, omnis doctrina, omnisq; disciplina, que ratione percipitur, manat ex antecedente precognitione. Quicquid enim à preceptore traditur ita discipulo percipiatur, doctrina dicitur ac disciplina: doctrina quidem quatenus à doctore proficiscitur, disciplina uerò eò quòd eam addiscat discipulus. Atqui preceptor nunquam docet ea, que maximè perspicua sunt: sed eius negotiũ perpetuò incumbit in ambiguis exponendis & enodandis: aliterq; discipulus nunquã à preceptore, que per se constant exigit, sed in ijs, in quibus hesitat preceptoris operam & ingenium postulare solet. Quocirca cùm omnis doctrina circa ea uersetur aperienda, que in dubio sunt: hec uerò ignorantie tenebris in discipuli mente sint obducta, necessariò doctrinã efflagitamus à preceptore, que per ea que magis nota sunt, tanquam per lumina, quibus propulsantur rationis tenebre, ad ea, que nobis abstrusiora sunt discentem adducat. Omnis igitur doctrina, que ratione intelligentiaq; percipitur à discente, ducit originem ab eorũ precognitione, quorum ope declaratur. Addit textus, que ratione intelligẽtiaq; perficitur, ad illud excludendum doctrine genus, quod indice sensu commonstratur: ut si aliquis doceat aliquem, quodnam animal sit Cameleon, uisui cernendum proponens, nam id genus cognitionis planũ est: nam ex antecedente prodire cognitione. Sed quorsum hec? eò nimirum, ut intelligas scientiam, que omnium longè prestantissima est doctrina, pariter ex suis emanare precognitionibus. Quapropter presens institutum hoc maximè postulat, ut, inquam, de principijs ac initijs Demonstrationis primùm differamus, à quibus ipsa scientia ducit ortum, perspicuitatem, ac firmam & constantem intelligendi rationem. Quod fiet commodius si priùs, quidnam Demõstratio sit, finitione aperiamus.

Demonstrationem autem voco ratiocinationẽ,

quæ ſcientiam gignere ob id dicitur, quòd illa animo comprehenſa ſtatim rem ſcimus.

Planè autem, ac perfectè rem ſcire quiſq; cenſetur, ac non Sophiſtarum modo (qui in certis ac fortuitis continetur) quando cauſam, per quam res eſt, ita ipſius rei cauſam eſſe cognoſcit, vt non poſſe omnino rem aliter habere credat.

Si igitur id eſt ſcire, quod diximus, neceſſe eſt demonſtratiuam ſcientiã ex ijs ſumptionibus conſtare, quæ & veræ ſint & primæ, & (vt ſic dicam) immediatæ, & notiores, & priores, deniq; & cauſæ concluſionis: nam ſi hæc ſint omnia, fiet vt accõmodata ſint ad id quod demonſtratur principia.

Tria occurrunt nobis explicanda, primùm quidem quid ſit Demonſtratio, ſecundo loco quid ſit concluſionem ſcire, poſtremò qualesnã debeant eſſe ſumptiones, hoc eſt, initia ſeu principia Demonſtrationis, è quibus concluſionis ſcientia manat. Quod igitur ad primum attinet. Demonſtratio, inquit Ariſtot. 2. cap. primi lib. Poſterioris reſolutionis. eſt ratiocinatio, quæ ſcientiam gignit: quod perinde eſt atq; ſi diceret. Demonſtratio quidem ſyllogiſmus eſt, cuius finis non quidem eſt opinio, ut ſyllogiſmi Dialectici, multò minus, error, ut eſt ſyllogiſmi Sophiſtici: ſed id genus eſt ratiocinatio, cuius finis ſit ſcientia. hoc eſt, quàm clariſsima & quàm certiſsima humanitùs comparari ualeat concluſionis intelligentia. Finitio igitur Demonſtrationis ratiocinationem ſortitur in genus, uicæ differentiæ ſubit hanc periphraſim, quæ, inquam, gignit ſcientiam ductam à fine. Eſt enim quadruplex finiendi genus, unum quidem, quod à materia ducitur: ut, ira eſt efferueſcentia ſanguinis circa cor: alterum, quod ab efficiente: ut, ira eſt apprehenſio acceptæ iniuriæ:

deinceps quod aßignatur per finem, ut ira est libido puniendi eius, qui uideatur læsisse iniuria: postremũ quod formã aperit, ut ira est affectus, quo mens perturbatur, tremunt artus, pallet uultus, oculi truces minitãtur, manus, pedes, deniq; uniuersæ animi & corporis partes, ut ultionẽ consequantur, nihil intentatum relinquunt. Post quas finiendi rationes quasi ex simplicibus una coalescit, in quaquidẽ quatuor causæ includũtur: ut si percontanti, quid sit homo? respondeam: est essentia corporis, uitæ, sensus, & rationis compos. nã corpus, materiam refert, anima præsefert causam efficientem, formã, & finem, ut Aristo. docet. 4. cap. 2. de Animo. Hæc autem per, uitæ, sensus, & rationis compos subindicatur. Quo circa demonstrationis finitio eius est, ut dixi, generis, quod à fine uim suam deducit. Et hoc quantum adprimum attinet.

Secundo loco finitur in textu quid sit scire, quod Aristo. Græcè ita expresit: ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκὼς, ὅταν τὴν αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, καὶ ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν, *idest, tum scire, quod que nos arbitramur omnino, non autem subdolo more, sophistarum instar, nec secundum accidens, cùm eius causam propter quam res est, & illius esse causam, tenere nos existimamus, atq; fieri non posse, quin res ita se gerat. Hæc Aristo. 2. cap primi libri de demonstratione. Cæterùm primo cap. primi libri de Physico auditu, Tunc, inquit, unumquodq; arbitramur scire, cùm principia & causas, usq; ad elemẽta cognoscimus, Circa quod aduerte, nos quidem aliquando ducere argumentum ab accidẽtibus, uel ab his, quæ ueritatis speciem præ se ferunt cùm nihil minus, quàm uera sint, tuncq; nos existimamus, aut opinamur aliquid esse uerũ, non autem scimus, nec nobis ita satisfacimus quin res ipsa nos moneat scientiam nos nondum adeptos quò ad consequamur causam, materiam, uel formã, uel efficientem, uel finẽ, uel harũ duas, aut tres, aut uniuersas: siquidem cùm has perspexerimus nihil amplius ad absolutam omnibus numeris rei cognitionẽ adipiscendã expetimus. Itaq; tum dicar perfectè habere scientiã hominis, cùm deum, planetas, patriã, parentes, exactè sub efficientiũ ratione dignoscã. Ad hæc hominis beatitudinẽ fuerim consequutus, quandoquidẽ hæc finis eius est. Rursus quod ad corpus materiei* Quid scire

S 2 partes

partes agens pertinet intellexerim planè quatuor elementa, & quatuor humores similares partes & organicas, ex quibus constat structura corporis humani. Deniq; essentiam animæ, facultates eiusdem, actiones, res subiectas, circa quas hæ uersantur: habitus, affectiones, naturales uires, & imbecillitates, perturbationes, & patibiles qualitates: demum & effecta probè teneamus. Tunc enim omnino & undequaq; scientiam hominis nos adeptos esse animum inducemus. Meritò igitur Aristoteles dixit, nos tunc arbitrari quòd aliquid sciamus, cùm eius principia, id est, efficientia, causas, hoc est, fines, & elementa, putá materiam, & formam, cognoscimus. Sed aduerte scientiam interdum usurpari pro habitu, interdum uerò pro actu. dico quidem scientiam esse habitum, cùm Medicinam, naturalem Philosophiam, Geometriam, & Astronomiam appello scientiam. At uerò in præsenti loco actum facio cum indiuiduæ conclusionis iam dudum cõparatam demonstrationis ope, cognitionem sciẽtiam duco. Sed ad explanandum quibus ex sumptionibus sit scientia deriuanda, iam res postulat ut accedamus. Operæpretium itaq; duxit Aristoteles ut ad uenandam scientiam demonstratio ex eo sumptionum genere dimanet, quæ ueræ sint, & primæ, & (ut sic dicam) immediatæ, & notiores, & priores, deniq; & causæ conclusionis. Oportet enim ut sumptiones sint ueræ, quò uim habeant efficiendæ ueritatis, & ut sint primæ, non quidem simpliciter, sed uia resolutionis, conclusione gradatim ad eius causas recurrendo, quæ primùm occurrant, si mauis, quæ proximè sint conclusioni: ut Deus, prima quidem est causa simpliciter, sed Petri cõparatione hic aspectus astrorũ, hoc cœlum, & hi parẽtes, prima causa nuncupantur, id est, proxima, quæ sit effecto. Amplius inquit, opus esse ut sint immediatæ, hoc est, inter quarum extrema nullum intersideat medium, per quod, tanquam per prius natura, poßit attributum ostendi de subiecto: ut hæc, Omnis homo est aptus ad sentiendum, minimè dicitur immediata: nã animal, mediũ est, prius natura, quàm sit homo, per quod possumus concludere in omni homine positam ad sentiendum aptitudinem. Rursus exigit, quòd sint notiores: ut ipsemet in textu inferiùs explicat, ut non solùm sint ex se, simpliciter, & suapte natura notiores: uerùm etiam & quod ita se gerant, nobis exploratum sit. ut enim certam, & perspicuam nobis ingerant conclusionis intelligentiã, & ipsa certiores & magis perspicuæ, non solùm suapte natura tales, uerùm etiam nobis

earum

earum ui ad conclusionis scientiam peruenturis apparere debent. Vt igitur sumptiones demonstrationis munere dignæ censeātur suapte natura priores, & proinde sint notiores, opus est. Vt uerò in animum nostrum scientiam imprimant, nobis notiores ut sint, à nostro intelligendi more requiruntur. Deniq; præter hæc exposcimus, ut causæ sint, subintellige, ut nuper dixi, quæ quidem adminiculo medio includant efficientem, uel materiam, uel formam, uel finem, uel aliquas ex his: quandoquidem, ut, autore Arist. admonuimus, tunc unūquodq; arbitramur scire, cùm eius principia dignoscimus, causas, & elementa. At uerò ut hæc familiarius, exactius, & expeditius capias, aduertendum est, ut omnibus numeris absoluta sit demonstratio, quæ dicitur in scholis uulgò potißima, tres terminos exigi. Primum quidem quod sit proprium, à Porphyrio quarto modo dictum tertiū, quod sit species subiecta reciprocè huiusmodi proprij, medium quod sit finitio essentialis, includens omnes causas, ob quas proprium speciei necessariò sit consequens: huiusmodi est hæc demonstratio, Quicquid est animal rationis compos, est aptum ad risum: sed omnis homo est animal rationis particeps: omnis igitur homo est aptus ad risum. Efficitur autem ex his maximam esse penuriam demonstrationum huiusmodi: quippe cùm demonstrationis medium constituatur finitio, non queuis, sed quæ ab Aristotele primo cap. Antecategoriarum λόγος τ οὐσί s nominatur: & ab eodem primo lib. Topicorum ca.4. ὅρο, à nobis Latinè essentiæ ratio, seu finis dicitur. Quæ cùm ex genere ac differentia constare debeat, differentiarum uerò magna sit inopia, rara est, & uix unquam in aliqua disciplinarum inuenietur: sed eodem consilio, quo Cicero in libro Orator ad Brutum oratorem pingit omni ornatu uirtutum, & literarum consumatißimum, qui nunquam reuera fuit neq; erit inter mortales: ita etiam Aristoteles. 6. Topicorum finitionē, in libris Metaphysices uirum sapientem describit, omni studio, ingenio, & felicitate excultum: ut, inquam, sit Idea & norma reliquorum. ita quidem in duobus libris Posterioris resolutionis Demonstrationem effingit, quæ tanquam reliquarum exemplar, nos excitet ad reliquas moliendas, tantò studiosiùs, quantò propiùs accedemus ad illius imitationē, uixq; in exemplis Aristotelis unam reperies, ne quidem in tota Geometria, & Astronomia, quæ sit undequaq; perfecta, si obserues ad unguem præcepta, quæ duobus prædictis libris nobis præscribit Aristoteles.

1. Append.

2. Append. Ex his etiam liquet in omni Demonstratione sumptiones conclusione, tum euidentius, tum certiùs à nobis percipi: ut, inquam, per eas scientiam consequamur. Id quod Aristo. in textu sub his uerbis docet.

Quoniam autem ob id certò rem scimus, ac credimus, quia perceptam animo habemus ratiocinationem illam, quæ demonstratio à nobis paulò ante dicta est: omnis autem ratiocinationis vis posita est in ijs, ex quibus constat sumptionibus. illud certè necessariò efficitur, huiusmodi principia, aut omnia, aut aliqua non modò esse antè cognoscenda, sed etiam multò magis, quàm ea, quæ ex ijs concluduntur, scienda.

Quibus uerbis non aliud sonat, quàm si diceret: Cùm sumptionum uis nos compellat ad adhibendam fidem conclusioni, multò clarius & certiùs degustare debemus illas, quàm hanc. Ratio autem est, quam subiungit his uerbis: ἀεὶ γὰρ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει οἷον δι' ὃ φιλοῦμεν ἐκεῖνο μᾶλλον φίλον, id est, semper id magis tale est, quod ut tale sit alterum, est causa: ueluti propter quem alterum amamus, is nobis semper est charior. Quòd autem sumptiones & clariùs & certiùs conclusione cognoscendæ sint ex his uerbis textus apud Aristote. deprehendimus. Τὸν δὲ μέλλοντα ἕξειν τὴν ἐπιστήμην δι' ἀποδείξεως οὐ μόνον δεῖ τὰς ἀρχὰς μᾶλλον γνωρίζειν καὶ μᾶλλον αὐταῖς πιστεύειν ἢ τῷ δεικνυμένῳ, id est, qui præsidio demonstrationis rei scientiam sit consecuturus, eum necesse est non modò clariús nosse principia, eisque maiorem fidem habere, quàm rei, quæ demonstratur. Quibus uerbis sole clariùs docet, & principia, id est, sumptiones demonstrationis euidentiùs à nobis percipi debere, & præter id certiùs.

Sed.

Sed quoniam principia ante ſunt ſciẽda, quàm id quod concluditur, ob id quibuſdã uiſum eſt, nullam omnino poſſe eſſe ſcientiam.

Aliorum contraria fuit ſententia, omnium rerum eſſe demonſtrationem, ſed neq; hi, neq; illi verum dicunt.

Demonſtratio duplex eſt, una eſt de qua diximus hactenus, quæq; ſimpliciter & abſolutè appellanda eſt demonſtratio, quæ nimirum oſtendit euentum per cauſam: atqui hæc non ſolùm docet quod ita ſit, uerùm etiam cauſam aperit, propter quam ita ſit. Altera eſt quæ cauſam corroborat per euentum, non docens quidem cauſam propter quam concluſio ita, uel ita ſe gerat: ſed ſolùm oſtendens quod ita ſit, atq; per eam ſignificatur. Porrò prima gignit ſcientiam, altera ſecus. Ita fit ut quicquid eſt in rerum natura poßit harum alterutra demonſtrari, ſi nquam, referatur ad peculiarem eius cauſam, uel ad effectum: ſed non omnium poteſt comparari ſcientiam, ſiquidem ſcientia ſolùm eſt æternorum, quæ ſemper uera ſunt, uel ſui ſimilia: non contingentiũ, quæ cadunt ſub utrãq; partem: nec æternorum omnium erit ſcientia, ſunt enim aliqua, quæ quidem in principijs ita ſunt prima, ut eis non reperiatur aliquid natura prius, per quod nimirum poßint demonſtrari: ſuntq; aliqua, quibus nihil eſt notius, per quod poßint declarari: ut, omne totum eſt maius ſua parte, uel ſi duarum magnitudinum altera alteri ſit ſuperpoſita, ut neutra excedat, neq; excedatur ab altera, eas æquales eſſe neceſſe eſt. At ſi roges cùm ecclipſis lunæ non ſemper ſit, eius tamen habeatur ſcientia, quî fiet ut ſcientiam aſſeramus cum Ariſtotele eorum eſſe, quæ ſemper ſunt. Obiectio. Dico ecclipſim lunæ bifariam poſſe æſtimari, uel quantũ ad ſubſiſtentiã quo pacto non ſemper eſt, uel quantum ad inſtitutum demonſtrationis: Dilutio. quo ſenſu, ſẽper fuit, eſt, & erit ecclipſis, propter terrã interpoſitã inter ſolẽ & lunã. hoc enim eſt in quo poſita eſt uis totius demõſtrationis oſtẽdẽtis, nõ tã quòd ita ſit, quàm propter quidnã ſit. Percõtabitur etiã quiſpiã, an ſit circulus in demonſtrãdo, id eſt, an a, per b: & uicißim b, per a, Obiectio. ualeat

ualeat demonstrari, quod Aristote. 3. cap. primi libri uocat in dubium. Sanè si demonstratio latiùs usurpetur, ut inquam, complectatur demonstrationem, solùm quod ita sit ostendentem, & eam quæ nõ modò ita esse, uerùm etiam propter quid sit circulus in demonstrando contingere potest: si uerò nomen demonstratio strictim sumatur, nunquam potest contingere circulus, nisi uni duo conueniant: quorum utrũq; sit alterius causa, ut se gerunt demonstratio & scientia: est enim illa huius efficiens, hæc illius finis. Quo fit ut utraq; per alteram uicißim demonstratione propter quid est aliquid ostendente ualeat effici.

Dilutio.

Dicendum est igitur, quæ, & quales sint res illæ ex quibus demonstrationes fiunt.

Ac primũ explicãdum quid est, quod in omni inesse dicimus: tum quæ sint ea, quæ per se conueniũt: postremò quid est in vniuerso genere spectari.

Quarto cap. tria docet Aristo. necessariò exigẽda in unoquoq; pronunciatorum, ex quibus demonstratio constat, sub his uerbis: Ληπτίον ἄρα ἐκ τίνων καὶ ποίων αἱ ἀποδείξεις εἰσί, πρῶτον δὲ διορίσωμεν τί λέγομεν τὸ κατὰ παντὸς καὶ τι ὃ καθ' αὑτὸ καὶ τι τὸ καθόλου, *id est, imprimis constituendum est ex quibus, & qualibus demonstratio constet. Ac primúm aperiẽdum est, quid in omni dicimus inesse: tum quid sit quod per se conuenit: deniq; quid sit uniuersum. Hæc Aristot. Sunt enim hæc tria tum in utraq; sumptionum, tum in conclusione perpetuò conseruanda: idq; nimirũ fiet si tres termini deligantur nobis prius præscripti, qui sint inuicem reciproci: quorũq; primus propria sit affectio, tertius species, cum qua huiusmodi affectio reciprocatur medium alterutrius horum extremorum essentialis ratio. Tunc enim tribus ex terminis tria conficientur pronunciata, quorum quodq; dicatur inesse in omni & per se, necnon in uniuerso genere in omni id dicitur, quod ita in alterum cadit, ut nec sub illo genere partem ullam accipere poßis, cui non conueniat, nec ullum tempus inuenire, in quo de illo non dicatur. ut omnis homo dicitur animal esse,*

ita ut

ita ut quacunq; in re uerè enuntiabitur homo, etiam animal enuncietur: & quocunq; tempore illud uerum erit, & hoc uerum esse. Per se autem illa primum conueniunt quæ in explicanda rei natura atq; essentia adhibetur, ut triangulo per se inest linea, lineæ punctum: nam triangulus finitur per lineam, & linea per punctum. Est enim triangulus, figura tribus rectis lineis interclusa: & linea finitur esse, quæ clauditur punctis. Pariter id in cuius finitione alterum adhibetur per se, dicimus conuenire, quo pacto lineæ per se conuenit esse rectam, uel curuam: & numero quòd sit par, uel impar, quandoquidem linea finitur rectum & curuum, & numerus paris & imparis finitionem ingreditur: siue igitur subiectũ sit in attributi finitione, siue cõtrà prædicatũ in finitione subiecti per se pronunciatũ nũcupatur. Dicimus etiam unũ alteri per se cõuenire, cùm suapte natura est alterius causa: ut hanc enunciationem, iugulatus interit, appellamus per se quando interitus causa est ipsa iugulatio. Neque enim id fortè ita contingisse dicimus, sed quia iugulatus erat, ob id mortem obisse. Est igitur triplex modus enunciationis per se dictæ, uel quoniam attributum est in finitione subiecti, uel quia subiectum includitur in definitione attributi, uel quia unum alterius suapte natura est causa. In quibus semper hoc cernitur, quòd in omnibus, inquam, illa attributa necesse est cùm propter se & ui sua conuenire, tum uerò necessariò ijs inesse, quibus attribuuntur. Ad uniuersum autem genus ea pertinere dico, quæ & in omni insunt, & per se rei conueniunt, & hoc ipso quòd res talis est Aristo. his uerbis expreßit: φανερὸν ἄρα ὅτι ὅσα καθόλου ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς πράγμασι ὅ καθ' αὐτὸ δὲ καὶ ᾗ αὐτὸ ταυτόν. *id est, ad pronunciatum uniuersi generis tria postulamus, quòd attributum necessariò cõgruat subiecto, idq; per se, necnon & hoc ipso quòd res talis est. Id Boëtius interpretatur ad hunc modum, ut, inquam, sit uniuersalis enunciatio, res postulat ut sit de omni per se, & secundum quod ipsum: ut, omnis triangulus habet tres angulos æquales, duobus rectis in uniuerso genere deprehenditur intra limites posterioris resolutionis. Est enim in omni triangulo in omne tempus habere tres angulos æquales, duobus rectis, idq; per se congruit triangulo, necnon quatenus tali: siquidem Isosceli hoc ipsum quadrat, non tamen qua Isosceles, sed quatenus triangulus. Cõuenit igitur triangulo qua talis, utpote hoc ipso nomine, quo triangulus est habere tres angulos æquales duobus rectis, cùm hoc ad ipsum spectet*

non alterius, sed suiipsius ui ac ratione. Illud autem aduertendũ, quod in priori resolutione prædicatũ in omni contento sub subiecto, seu si maius in toto esse dicatur, cùm reuera & uniuersè subiecto prædicatũ attribuitur. At uerò in posteriori resolutione tum attributum in omni dicitur inesse, cùm non solùm in omni inest, uerùm etiam hoc perpetuũ est in omni tempore. Efficitur igitur ex his tria pronunciata, quibus constat syllogismus uniuersi generis esse debere, hoc est, quorum attributum sit in omni, & per se rei conueniat: & hoc ipso quòd res talis est.

Differunt multis modis inter se, scire quòd res sit, & quam ob rem sit.

Decimo cap. 1. libri demonstrat quid intersit discriminis inter hæc duo, scire, inquam, quod res sit, & quamobrem sit. Ad quam doctrinam percipiendam aduerte, quòd ipsemet Aristoteles eo in capite docet hæc duo abinuicem distare bifariam: uel enim intra limites eiusdem doctinæ conferuntur, uel in diuersis, quarum una sub altera continetur. Primùm quidem duobus modis euenit: uel enim ostenditur unũ de altero per causam remotam, uel causa per effectum reciprocum firmatur. Atq; utroq; modo accidit, ut conficiatur demonstratio, & comparetur scientia docens, quòd ita sit, non autem propter quid sit. Quo fit ut demonstratio, quod ita sit, ostendens duplex cernatur: una quidem, quæ causam per effectum: altera, quæ id quod effectum est, per causam remotam tamen cõfirmat: quarum neutra dicitur demonstratio, propter quid aliquid sit aperiens, sed solùm ostendẽs quòd ita sit. Sed incurres, causa remota exactè percepta gignere uidetur nobis scientiam interdum, nõ opinionem: ergo non solùm ostendit, quòd ita sit, uerùm etiam propter quid sit. Dico causam remotam cùm ex se, primumq;, & hoc nomine quo talis est, solius sui effecti, cum quo concurrit, sit causa, non potest nobis ingerere scientiam, quantumuis persuadeat certißimam conclusionis existimationem. Tunc enim unumquodq; arbitramur non aliquid rectè scire, cùm causam eius primam, hoc est, immediatam, quæ ratione sui, non alterius, quæq; qua talis est illius causa perfectè cognoscimus. At quæ remota est, qua talis non ualet esse perspicua causa, per quam scientia, id est, cognitio omnibus numeris absoluta, & in qua quidẽ ad rei perfectã intelligentiam comparandam nihil desideretur. Meritò igitur & iure nobis

Obiectio.

Dilutio.

præcipit

præcipit Aristo. ut illud genus demonstrationis, quod per causam remotam efficitur, demonstrationem, quòd ita sit, non autem propter quid sit, appellaremus. Alter uerò modus, quo percipitur discrimen inter scire, quod ita sit, & scire quamobrem sit, in diuersis disciplinis, quarum una sit alteri subordinata, in hunc modũ deprehenditur: ut in inferiori discamus de re tantùm quod ita sit, id quod in superiori cur ita sit ostenditur. Vt Medicina cùm sit naturali philosophiæ subordinata multa docet ita, uel ita se gerere: non tamen proponẽs causam propter quã sint, hoc relinquens muneri superiori: philosophus autem naturalis hæc ipsa docet, & quòd ita sint, & propter quid sint. Ex qua doctrina colligitur in quibusuis partibus philosophiæ, quarum una sub altera continetur, perfectam scientiam, omnium quæ traduntur, in subiecta doctrina dependere quidem omnino, & postulandam esse ab ea, cui subijcitur & subordinatur, quinimo uel principia ipsa illius, quæ sub altera continetur fulciũtur, & fide digna fieri nõ poßũt, nisi per alterius initia. Ita fit ut Astronomus omnium, ad quæ demonstranda intra limites suæ considerationis initia non suppetunt, à Geometra demonstrationem propter quid ostendentem postulet: pariter musicus ab Arithmetico, & à Metaphysico reliqui omnes. Ex quo rursus colligas eum, qui sit in superiori facultate, quæ dominatrix est & princeps, magis uersatus reliquis, de illi subiecta fore multo magis bene meritum. Hinc fit ut iuris prudentes tantò censeãtur præclariores, quanto fuerint in philosophia moris magis uersati: & Medici nobilißimi, & in medicando felicißimi, quiq; à Galeno dicantur summi philosophi. Et par est ratio in reliquis huiusmodi. Euenit etiam in ijs, quarum una sub altera minimè continetur, propter nescio quam coniunctionem, cuius causa quadam ex parte interdum una dependet ex altera, quòd una pertractet quod ita sit, altera uerò doceat causam propter quam sit: ut se gerunt Medicina & Geometria. nam quòd uulnera orbicularia difficilius ac tardius curantur, medicus nouit: huius autem rei causam reddit Geometra. Appendix. 2. Append.

Ex tribus figuris prima est ad scientiam accõmodatißima. Primum enim Mathematicæ scientiæ, suas in hac figura demonstrationes concludũt:

vt Arithmetica, Geometria, Optice, & vt in summa dicam, omnes, quæ cur res sint, inquirunt.

Quòd prima figura accommodatißima sit ad moliẽdam demonstrationem. 11. capite primi de Demonstratione docet, & eiusdem libri 21 cap. negante præstantiorem aientem esse, similiter ostendit ex professo. Quibus ex duobus testimonijs Aristo. normam argumentandi primam in prima figura colligimus esse selectißimã. Mathematicas autem appellat, quas alio nomine quadriuium in scholijs nuncupamus. Dico Geometriam, Arithmeticam, Astronomiã, & Musicam. Porrò quæ hic dicitur optice, id est, perspectiua, partim est Physica, partim est Mathematica: interdum cum his connumeratur, nonnunquã recensetur in partibus naturalis philosophiæ.

Solertia verò est perspicuitas quædam, per quã cuiusq; rei medium & causa nobis statim occurrit.

Ἡ δ᾽ ἀγχίνοιά ἐστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ τοῦ μέσου, id est, solertia perspicax quædam est, & extemporanea uis inuestigãdæ causæ Quibus uerbis Aristo. discrimen exprimere nititur, quò scientia, & solertia differunt, nouißimo cap. primi libri Posterioris resolutionis. Est enim scientia solertiæ parens. siquidem ope præceptoris, & opera nostra, necnon temporis beneficio scientiã comparamus. Solertia uerò nec à præceptore tradi potest, nec nostra diligentia conciliari, nec temporis adminiculo coli: sed ingenio suapte natura perspicaci ex sciẽtia diu exercitata sua sponte, sic enascitur, ut mirabilis quædam euadat dexteritas ad ex tempore causam rimandam & aperiendam, mirificum & felicem faciẽs artificẽ.

Quæstionum tot sunt, quot rerum, quæ sciuntur, genera.

Verba hæc scribuntur ab Aristotele primo congresu primi capi. 2. lib. Posterioris resolutionis sub hac uerborum serie: Τὰ ζητούμενά ἐστιν ἴσα τὸν ἀριθμόν, ὅσα περ ἐπιστάμεθα. ζητοῦμεν δὲ τέτταρα, τὸ ὅτι, τὸ διότι, εἰ ἔστι, τί ἐστιν, id est, ut eorum quæ scimus, ita rerum, quas quærimus quatuor sunt genera, an ita sit, cur ita sit, sit necne, & quid sit. Quod perinde est atq; si diceret, quæ ad præsens institutum conferant quæstiones, utpote ad munus apodicticum obeundum, tot numero sunt, quot ea, quæ in demõ-

strando

strando maximè optamus(usurpat enim hic scire latiùs multò,quàm ha-ctenus fecerit Aristoteles).Sunt autem ad medium demonstrationis ue-nandum,in quo positũ est uinculum & robur ipsius.4.potissimùm, quæ ante omnia scire,id est,cognoscere nos exoptamus:& hæc ipsa sunt quæ quærentes inuestigamus. Primùm enim quærimus quod inquit Græcè τὸ ὅτι,hoc est,de re subiecta quærimus an sit hoc,uel illud,quod inquam conclusione proponitur,si mauis,an conclusio sit uera.Secũdo loco per-contamur τὸ διότι, hoc est, propter quid nam hæc ipsa conclusio sit ue-ra.Tertiò rogamus εἰ ἔστι,scilicet de re subiecta,de qua cõcludimus pro-priam affectionem,seu de hac ipsa,sit ne,necne. Postremò, τί ἔστι, id est, de utroq; conclusionis extremorum,quidnam sit,quo nomine postulamus essentialem rationem. Atqui hæ inter se quæstiones talem seruant ordi-nem(quod Aristoteles docet hoc ipso in cap.)ut quæstio, qua quærimus de re subiecta,sit ne hoc,uel illud,an secus,ordine quidẽ naturæ, doctri? neq; illam quam ob causam ita sit,antecedat. Pariterq; se gerit quæstio, qua simpliciter quærimus de subiecto & attributo conclusionis, an sit, ad illam,qua quærimus, quid sit.Hoc autem inter illas & has interest, quòd illæ ad conclusionem spectent, in qua est uerum à falso discernen-dum:quarum prima postulat, an sit uera, statim & altera percontatur propter quidnam uera deprehendatur.Hæ circa rem simplicem uersan-tur,in qua neq; cernitur uerum,neq; falsum. Ante quàm igitur demon-strationem moliri ualeam, qua quidem demonstremus lunam deficere, id est,ecclipsim pati,prius quærimus an sit ecclipsis?proximo loco,quid sit?tertio iam postulamus,an uerum sit, quòd luna statis temporibus pa tiatur ecclipsim?postremum omnium,quam ob causam idipsum eueniat? expetimus summopere scire. Atq; in conficienda demonstratione præ-dictæ quæstionis,hunc ordinem seruant.

Quoniam autem censetur quisq; , tum demũ rem scire , cùm est assecutus causam: causarum autem quatuor sunt genera, vnum est forma atq; essentia cuiusq; rei: alterum est in quo inest necessitudo, non absoluta, sed ex adiunctione, si alia quædam sint,

hoc esse necesse est: tertium genus est id, in quo inest rei efficiendæ vis primaria: quartum est finis, cuius causa aliquid fit. Omnia quidem certè ista causarum genera pro medio adhibita in demonstratione intelliguntur.

Duodecimo capi. 2. lib. docet Aristot. quæ dudum præscripsimus his uerbis: Ἐπεὶ δὲ ἐπίστασθαι οἰόμεθα ὅταν εἰδῶμεν τὴν αἰτίαν, αἰτίαι δὲ τέσσαρες, μία μὲν, τὸ τί ἦν, εἶναι, μία δὲ, τὸ τινῶν ὄντων ἀνάγκη τοῦτ' εἶναι. ἑτέρα δὲ ἥ τι πρῶτον ἐκίνησε. τετάρτη δὲ, τὸ τίνος ἕνεκα. πᾶσαι αὗται διὰ τοῦ μέσου δείκνυνται: id est, Quoniam autem tum demum nos existimamus aliquid scire cùm eius causam clarè perspicimus. Causarum autem quadruplex est differentia, siquidem una est, essentia rei (utpote forma): altera est materies, ex qua quibusdam appositis necessariò consequitur forma: tertio loco efficiens, utpote, à qua motus initiũ est profectum: postrema, finis, id est, gratia cuius res est. Omnes autem hæ pro medio adhibitæ in demõstratione cernuntur. Quocirca ut quadruplex est causa, ita & finitio, necnon demonstratio. Vna quæ quidem emanat à materia, quæ à forma ducitur, altera: tertio loco, quæ ab efficiente: quarta, quæ à fine. In his autem causis aduertendum est, ut inquam, singulæ sint media demonstrationum oportere, ut ita in formam finitionis redigantur quòd ualeant esse reciprocæ utriq; extremorum conclusionis. Porrò efficiens & finis nisi hoc modo adhibeantur, non poterunt idonea fieri media demonstrationis. Potest autem demonstrari una causa de subiecto, per alteram nimirum, cùm definitio materialis de finito per finitionem formalem, uel finalem, tanquam per consentaneum concluditur medium. Vt enim res à re depẽdet, quantũ ad esse, ita & quantũ ad cognosci, quandoquidẽ eadem sunt principia rei & cognitionis, nimirũ quatuor causæ. Reliquũ est igitur, ut cùm finis & forma causæ sint, non quidẽ simpliciter, ut materia sit, sed ut eiusdem effecti sit causa. Efficitur sanè ut materiam, non quidem in esse rei subiectæ (quod minimè demonstrari poßet) sed eius causam esse, per formam, & finem poßit demonstrari. Est enim serræ causa materies, ferrum

es,ferrum ita,uel ita calibe contemperatum:forma dentata,quam oculis cernimus,faciliùs quàm uerbis efferatur:finis,ligna secare Si roges igitur,quare serra ex ferro ita uel ita delecto,causa reddetur, quòd inquã sit accommodatior ad ligna secanda. Est enim finis præstantißima causarum,& quæ per Antonomasiam interdum ab Aristot. sola intelligitur sub nomine causæ. Est enim finis in causa, ob quam hic uel ille fiat materiei delectus, formæ,uel efficientis. Possumus igitur demonstrare materialem finitionem de finito per finalem, eo tamen demonstrationis genere, quo non doceamus conclusionem ueram esse,propter sumptiones,tanquam propter id quòd sit simpliciter causa: sed quo planè ostendamus materialem causam effecti causam esse, propter uim formæ, uel finis. siquidem hæ sunt causæ,ut eiusdem effecti causa sit ipsa materies.

Hîc igitur ambiget fortè quispiam, vtrum sit eadem principiorum, quæ aliarum rerũ cognitio, necne: & vtrum harum & illorum cognitio, scientia appellanda sit, an verò harum quidem sciẽtia: illorum autem aliud quoddam cognitionis genus:

In dubium uocat Aristot nouißimo cap.2.libri, an demonstrationis principiorum habeatur scientia,seu potiùs aliud cognitionis genus. Circa quod obseruandum est primùm omnium bifariam ab Arist. usui adhiberi scientiam,latiùs,inquam,& arctius:latius quidem, ut sub hoc nomine complectatur, tum principiorum, tum conclusionis cognitionem. Atq; ita scientia dicitur quàm clarißima, & quàm certißima humanitùs haberi poßit cognitio,siue principiorum,siue conclusionis. Arctius finitur hic scientia, ut solùm attribuitur conclusioni. Nec solùm ab Aristotele scientia latiùs patens ad principia solet accommodari, uerùm etiã primo capite secundi lib. de Demonstratione,scire pro quouis cognitionis genere uidetur usurpare, cùm ait,æqualia esse numero quæ quærimus,ijs quæ scimus. Quod uerò in textu hic præmonuimus ex Ari.

sententia

sententia.6.libro Ethicorum ex professo pertractat, docens intelligentiam quidem, seu si mauis cum schola, intellectum esse principiorum: conclusionis uerò scientiam & sapientiam utrorumq;.

Oritur ergo (vti diximus) ex sensu memoria, iũ ex memoria aliquoties repetita nascitur experientia: nihil enim est experientia vna, quàm multæ (vt sic dicam) memoriæ.

Postremò ex experientia, quæ tum est cùm est infixa animo de toto genere pronũciatio, aut vnius cuiusdam rei notio, quæ sit ipsa quidem præter res singulas: sed in illis tamẽ omnibus vna eademq́ manens cohæreat: ex ipsa, inquam, experientia proficiscuntur omnis artis ac scientiæ principia.

Operæpretium duximus, ut in hac institutionis ratione iuuentuti studiosius consulentis, doctrinam hanc proponeremus: quandoquidem non parùm, quin plurimũ confert ad originem scientiæ perspiciendam, & ad intelligendum quo pacto experiẽtia gradatim nos adducat ad scientiam comparandam. Docet igitur Aristo. nouißimo cap. 2. libri Posterioris resolutionis, sensum quidem esse singulariũ: ex multis autem sensionibus in memoria reconditis, tandem experientia subnascitur, quæ quidem, si earum rerum sit, quæ sub scientiam cadere nequeant in methodicam formam redacta, fit ars. At uerò si poßit apodicticam, id est, demonstrandi exactam rationem induere, scientia. Quæ doctrina planior euadet in philosophia naturali. Duo tamen solùm aduertas uelim hoc loco, primum quidem quòd sensus sit origo scientiæ. Atq; hic sit singularium, scientia uerò sit uniuersalium. Quo fit ut uenantibus disciplinas proprio Marte, non autem præceptorum ope, indiuidua sint uniuersis notiora, etsi apud accipiẽtes doctrinas, iam pridem ab alijs excogitatas,

inuentas

inuentas, & excultas longè secus eueniat: sunt enim eis uniuersa singulis magis perceptibilia. Alterum quod pertinet ad uniuersum, de quo hic tractatur, inquit enim, unum præter multa esse, simulq; unum esse, idemq; in illis ad unum omnibus. Quæ doctrina in scholis paßim citatur, eamq; nonnulli torquere solent in sensum ab Aristo. non parum discrepantem: siquidem sensus horum uerborum is est: uniuersum, inquam, & reuera unum est in omnibus indiuiduis subsistens: unum, inquam, specie in dissidentibus numero, uel in specie distantibus unum genere. At uerò Logicè, id est, munere mentis in animo conceptam (abstractum uulgò uocat) unum est præter multa, hoc est, sæpe sic rationis munere separatur ab indiuiduis, atq; si protinus esset præter illa. Nam, ut Porphyrius monuit, ratione seiungi atrorem ab Aethyope, capi. de accidente, pariter Aristo. in. 3. cap. 2. lib. physicorum, quantitatem auelli à subiecto, non quidem reuera, sed mentis munere: ita idem hoc in loco submonet Logicũ interdũ capere ipsum uniuersum, perinde atq; si non esset in singulis.

Et hæc satis dicta sint de Demonstratione, quantum attinet ad iuuentutis institutionem, restat nunc ut ad syllogismum Dialecticum nos conferamus: est enim inferior dignitate, quàm demonstratio, & longè præstantior Elencho: atq; ita mediam ueluti rationem gerit inter illam & hunc. Hoc autem imprimis obseruare debemus, quòd syllogismi Dialectici cùm tres termini sint, duos extremos Dialectica suggerat quæstio, medium autem quia multiplex esse potest eleganti sit industria inuestigandum. Quod quia multiplex & uarium est & ferè in singulis est aliud atq; aliud, magno consilio, ingenio, & studio nobis Aristo. artem inueniendi medij tradidit in libris Topicorum inscriptis, in quibus accuratißimam nauat operam circa loca Dialectica, ex quibus tanquã ex prõptuarijs singulaquæq; media, citra negotium sint excerpẽda. Quam docendi rationem, ut studiosius & accommodatius assequamur eius textũ (quod, ut cætera, Deus benè uertat) aggrediamur.

Hoc nobis loco propositum est, viam atq; rationem inuenire, qua & de omni quæstione proposita probabili argumentatione poterimus disserere, &

nihil repugnans, si quid in disputationibus defendamus, afferemus.

Ita præfatur Aristo. in Topicis, primo inquam cap. finem & scopũ proponens, ut conciliet beneuolentiam, & attentionem nostrã. Est itaq; institutum eius nos instructiores facere ad uerisimiliter disserendum de qualibet quæstione uocata in dubium, & in utramq; partem. dico, in aientem & negantẽ controuersa. Subiecta materies est syllogismus Dialecticus, uel si mauis τόπος Græcè, locus Latinè: quandoquidem eo consilio disserit de locis, ut ex eis hauriamus media Dialectices argumentationibus eligenda. Cùm igitur Dialectica quæstio suppeditet maius & minus extremum, sanè disserere de medio inueniendo beneficio locorum Dialecticorum, & ad quamlibet quæstionem accommodando, cò tandem spectat ut de syllogismo Dialectico disserat. Titulus ducitur à materia subiecta, inscribuntur enim libri Topicorum, hoc est, de locis differentium: τόπος enim Græcè idem sonat atq; locus Latinè. Diuiditur autem codex Topicorum in octo libros, in quorum primo pertractat ea omnia, quæ in uniuersum conducunt ad generalem omnium locorum dignotionem: quod nimirum facit, ut naturæ ac doctrinæ ordine auspicetur ab uniuersis. In secundo Dialectica loca consultò accommodat accidenti. Tertio libro de his ipsis dicit iam ad ineunda consilia humana summa facilitate adhibitis, necnon incredibili utilitate. Quartus liber locorum ingenium discernendo generi ac differentiæ simili quidem arte planè tribuit. Quintus nos reddit industrios ad illud genus finitionis discernendum, quod ex genere constat & affectione propria. Porrò sextus totam Dialectices locorum rationem sibi uendicat, ad essentiæ rationem dijudicandam. Nec dispari methodo septimo, & octauo, beneficio locorum, nos instruit ad falsum insectandum, & uerum defendendũ, necnon corroborandum. Vides igitur meritò inscriptos esse libros hos Topicorum. Autor omnibus est in confeßo, quòd fuerit Aristo. & præter id horum librorum stylus ob oculos ponit, ei præsertim, qui mediocriter fuerit in eius operibus exponendis uersatus. Cùm enim summam is artem disserendi nobis proponat, nihil magis quàm artem & ordinem, ac industriam dißimulare uidetur. Nec hac in re Rodolpho Agricolæ suffraga-

Finis.

Subiecta materies.

Titulus.

Autor.

suffragabimur, qui uidetur hoc nomine principem Philosophorum reprehendere, quòd in Topicis non uideatur fuisse methodicus uir, alioqui de genere dicendi, ac intelligendi mirificè bene meritus. Nec erit præter rem, propter iuuentutis utilitatem, eius argumenta recensere, pro nostraq; uirili dissoluere. Post multa enim, quæ. 3. cap. primi libri de Inuẽtione uehementi studio & ingenio eleganti aduersus Aristo. cõtorquet censuram hanc de ipso describens: Ego, inquit, Aristot. summo ingenio, doctrina, eloquentia, rerum peritia, prudentiaq;, & ut semel dicam, summum quidem hominem, sed hominem tantùm fuisse puto, hoc est, quem & latere aliquid potuerit, quiq; ut non omnia primus inuenerit, ita alijs post se inuenienda aliqua reliquerit, qui etiam nõ omnia, quæ inuenerat crediderit in uulgus prodenda, & nonnunquam fortasse contradicendi studio, quo maxima ferè tentantur ingenia: non tam quid ipse sentiret, quàm contrà quòd alius sensisset dicendum putaret. Plurima ille rectè, sed & alius aliquid non malè: quò iustiorem ego ueniam credo illis esse oportere, si qui fuerunt, qui putarent nõ utiq; illi tanquã scopulo usquequaq; adhærescendum esse, neq; de suis desperarunt ingenijs, cùm ingrati possit & iniquè de parente omnium natura existimantis uideri, credere ipsam omnia sua in uno illo partu effundentem munera reliquæ posteritati humani generis in omne æuum sterilem effœtamq; manere uoluisse. Verùm ut de re nostra dicamus, scripsit de locis octo libros eruditè & disertè, sicut omnia: sed angustiùs uidetur eorum conclusisse materiam. Voluit enim cuncta, de quibuscunq; dissereremus, intra. 4. quæstiones contineri: ut quæreretur definitio'ne esset, an genus, an propriũ, an accidens: ut sint hæ quæstiones eiusmodi. ut sit'ne animal rationale, definitio hominis: sit'ne hominis genus, animal: sit'ne hominis propriũ, docibile: sit'ne accidens eius, album esse. Sanè quicquid ulla de re quærimus intra aliquod horum. 4. recidit, neq; enim plura sunt, quæ possunt ulla de re dici. Sed non id agimus, ut de istis semper quæramus sub nominibus illis, quæ ab Aristo. sunt posita. Neq; enim quæro semper, sit'ne, album, accidens hominis: sed simpliciter, sit' ne homo albus. sic etiam, non sit'ne definitio defectus solis, interpositio lunæ inter solem & aspectum nostrum: sed sit'ne solùm hoc illud. Sic de alijs etiam non quærimus, sit'ne hominis genus, animal: & proprium, docibile: sed per se, sit'ne homo animal, & sit'ne docibilis. Verùm hæ quæstiones omnes, de quibus nos lo-

Rodolphi aduersus Aristotelem prima ratio.

Obiectio.

quimur, quoniam solùm id agunt, ut sciamus sit'ne hoc in illo, & cùm quæro sit'ne homo animal, id percontor, insit'ne animal in homine. & reliqua in hunc modum, quia etiam insit nec'ne de accidente primum solet quæri, poterat idcirco uideri quod ad has quæstiones pertinet satis esse accidẽtis tractatu explicatum. Esset hæc aliqua ratio, si omnia quæ

Dilutio alterũ argumentum cõplectens.

ad ostendendum inesse aliquid accommodata sunt recensuisset Aristot. cùm de accidente loqueretur: sed neq; locos describit, neq; numerũ ipsorum facit, aut nomina: sed deducta ex locis argumenta quæstioni proposita applicat. Deinde pleraq; pro locis ponit, quæ nullius propria sunt

3. argum.

loci ut cùm dicit inspiciendum esse quibus insit aliquid omnibus, uel quibus nullis. id est, de quibus uniuersaliter aliquid affirmetur, uel negetur, ea de quibus affirmatur dicit esse species. Adde quòd uidetur nimis arctos dedisse fines Dialecticæ, qui ijs quatuor quæstionibus terminauit eam, cùm doceat enim rationem argumentandi, uel quod idem est probabiliter differendi Dialecticè uidetur tam latè distentos habere terminos, quàm sunt omnia, de quibus ratione atq; uia aliqua disseri poßit, neq; ullam certam sibi præfinire materiam: sed arma tantùm dare, quibus parati instructiq; simus in omne certamen. Sed de his quisq;, ut uidebitur statuat, illud res ipsa conuincit magni & uniuersi laboris esse, auulsos ab illis quæstionibus, quas ipse instituit, locos in alium aliquem differendi usum traducere. Quiq; itaq; Philosophiæ nomen usurpant, cupiuntq; paulò uideri doctiores, libros illos legunt quidem, cumq; Peripateticos & haberi se, & dici uelint, quæ præcipua semper Peripateticorum fuit laus, de qualibet re proposita in utramq; partem aptè, expediteq; differendi, eam tamen ut præstent, multum utiq; abest. Dictata potiùs, ut inquit Cicero, & in scholis multis iam seculis per manus tradita decantant, qua id causa credam fieri, nisi id quod opinor, difficillimum est maximiq; negotij, ex instituta Aristo. locorum ratione facultatem promptè copioseq; differendi expedire. Hæc Rodolphus Aristotelem insectans. Nos uerò sumus longè secus persuasi, Topicam Aristotelis methodum reliquis eiusdem generis longè anteponendam, Rodolphiq; rationes, quibus in ipsum inuehitur, nullius esse momenti. Quod enim uitio dat, quòd angustius uideatur eorum conclusisse materiam, mihi quidem non angustius, sed aptiùs, commodius, & elegantius Aristo. hoc fecisse mihi uidetur: quandoquidem quòd adeò multiplicem & uariam locorum

4. argumẽ. 5. argumẽ. Ad primã.

corum rationem in.4.cap.redegerit,ut exiguo iuuentutis captui se magis attemperaret. Id enchomijs dignum est, tantum abest ut reprehensioni fiat obnoxium. Quod autem inquit, non omnia, quibus aliquid inesse ostenditur, aut non inesse, fuisse ab Aristo. in accidentis problemate discernendo tradita, id uerò sanè consonum non est: nihil enim in his desideratur, nisi quidpiam de industria sit prætermissum: ut cuius notitia citra præceptoris opem ex reliquis, quæ ab eo pertractata sunt deduci ualeat. Quod uerò ait, neq; locos ab Aristotele describi, nec nomina illis tribui, sanè & locos describit & singulis nomina tribuit: cùm nihil minus facere uideatur, sed familiarem horum explicationem relinquit arbitrio expositorũ. Illud non est ferendum quod Rodolphus nimis arctos dedisse Aristot. fines Dialecticè censeat, quodq; his.4.quæstionibus eam terminauerit: quippe cùm uastißimam illam differendi rationem, quæ paßim sui dißimilis & infinitis modis uaria est, ad quatuor quæstionum numerum reuocari præclarißimi quidem ingenij & elegantissimæ artis opus est. Quinta ratione contorquet in Aristotelem magni & immensi laboris esse, auulsos ab illis quæstionibus, quas ipse instituit, locos in alium aliquem differendi usum traducere: quod planè nescio quorsum spectet, cùm sole clarius liqueat quatuor illa genera quæstionũ non minus ad singulas aliarum disciplinarum, & ad quæuis, quæ uocentur in dubium in congreßibus humanis accommodata esse, quàm ad hanc ipsam Dialecticam præceptionem. Itaq; quãti momenti sint ad reliquas disciplinas exactiùs capeßẽdas, res ipsa docet, cum qui gnorit huiusmodi præcepta, methodumq; reliquis disciplinis accommodare. Tantũ igitur abest quod aliquid in Aristotele iure hìc reprehendatur, ut potius præclarißimum eius ingenium in hac methodo præscribenda, seipsum superasse uideatur. Ordo quo postponitur hæc tractatio Apodictice, necnon præmittitur Elenchorum considerationi, is est, ut inter demonstrationem & Elenchum Dialecticus naturæ, ac doctrinæ ordine mediã ueluti gerat rationem. Vtilitas ab Aristo. triplex cap.2.libri.1. proponitur, quæ initio nostræ institutionis toti Logicè tributa est: nam cùm propter penuriam differentiarum, ac finitionum essentialium uix unquã suppetat demonstratio, sit nimirum ut magna pars utilitatis Logices huic parti Topicæ tribuenda ueniat. Est itaq; plurimum conferens ad Gynsticas disceptationes, ac colloquia familiaria, & ad comparandas

Ad.2. Ad.3. Ad 4. Ad.5. Ordo. Vtilitas.

 commo-

commodius & exactius omnes disciplinas. Nunc ubi diximus de his, restat ut Aristotelem, quem imitari debemus, tanquam exemplar consulamus. Verba enim, quibus exorditur in Topicis, ita sonant.

Hoc nobis loco propositum est viã atq; rationem inuenire, qua & de omni quæstione proposita probabili argumentatione poterimus disserere, & nihil repugnans, si quid in disputationibus defendamus, afferemus.

Institutum Aristo. in libris Topicorum est, nos instruere ad rectè de qualibet quæstione nobis in utramq; partem controuersa uerisimiliter disserendum, necnon ad ueritatem ita defendendam, ut eam tuentes, & à cauillo uindicantes nihil ueritati, uel nobis ipsis repugnans efferamus. Vbi aduerte his uerbis Aristo. præfatum ea quæ conferunt ad beneuolentiam nostram, & attentionem lectioni Topicorum conciliandã. Cùm enim hominis præstantißimum officium potißimum sit in ratiocinando ac demonstrationis munus, propter inopiam essentialium finitionum sit rarum, bona pars perfectè ratiocinandi dependet ex hac disserendi methodo, quæ nimirum argumenta ducit ex probabilibus: quæ ut paßim obuia sunt, ita & magnam argumẽtorum copiam subministrant, adeò ut suppetant Dialectico tãquam araneæ fila. Quo fit ut Aristo. nostra beneuolentia & attentione dignus censendus sit hoc nomine, quòd uim ac dexteritatem tam homine dignam, dico, de qualibet re probabiliter disserendi in Topicis nobis polliceatur.

Est igitur ratiocinatio oratio, in qua quibusdã positis, aliud quiddam, quàm quæ posita sunt ex ijs ipsis, quæ posita sunt, efficitur necessariò.

Demonstratio autem est, cùm ex veris & perspicuis conclusio est, aut certè eiusmodi, quæ à quibusdam

busdam perspicuis & veris causam cognitionis sumant.

Dialectica verò ratiocinatio est, quæ ex probabilibus concluditur.

Probabilia autem sunt, quæ probantur, aut omnibus, aut plurimis, aut certè sapientibus. Atque ijs, vel omnibus, vel plurimis, vel ijs quorum spectata est & perspecta sapientia.

Fallax autem, & certandi studio comparata ratiocinatio est, quæ ex his progreditur, quæ probabilia videntur, nec sunt.

His uerbis Aristo. primo capite primi Topicorum finit nobis syllogismum, & eius tres formas: ut horum collatione quid hæc sint, quaq; in re abinuicem distent, percipiamus. Sed quid sit ratiocinatio plus satis in libris Prioris resolutionis dictum est: pariterq; in Posteriore resolutione quid sit Demonstratio. Nunc operam couertamus ad argumentationem Dialecticam, & ad fallacem. Concludit igitur syllogismus Dialecticus argumentum ducens à probabilibus. Itaq; loco à finitione, & à finito, à genere, à specie, a proprio, & alijs huiusmodi dum nititur, ut si argumentandi forma sit necessaria, materies tamen secus se habeat: uel enim non est necessaria, uel si sit probabili modo intelligēda percipitur. Sunt autem probabilia ἔνδοξα Græci uocant, quæ omnibus sunt in confesso, uel plurimis, id est, uulgò, aut certè sapientibus, hoc est, literatis: atq; ijs uel omnibus, uel plurimis, uel optimè meritis, & celebri fama splendētibus. Quo fit ut idem probetur nūc, & ob id probabile fiat nūc secus, ut philosophari præstantius esse, quàm ditari, si sermonem habeam apud uulgus imperitum minimè probatur. At uerò si uerba faciam doctis ac probis uiris, est maximè probabile. Fallax autem ratiocinatio & cōtentiosa duplex cernitur, una quidē in qua forma: altera in qua materia delinquit: quæ forma delinquit fallax, inquit, ratiocinatio dicatur: cuius

cuius uerò forma constans est appellanda uenit ratiocinatio. Est autem, præter dictas fallacis ratiocinationis differentias, aliud genus forma præditum eleganti, ducens argumentum ab initijs seu principijs alicuius doctrinæ, subdole tamen accommodatis: ut, Omnes lineæ ductæ à centro usq; ad circunferentiam sunt inuicem æquales, at linea recta, & linea curua sunt huiusmodi, ergo recta & curua traductæ à centro usq; ad circunferentiam sunt inuicem æquales: nam principium intelligitur de rectis. Similiter omnes semicirculi sunt æquales, sed duo semicirculi, quorum unus est alteri concentricus sunt semicirculi, sunt igitur inuicem æquales. ubi falsum concludimus ex illo principio Geometrico malè accommodato. Quod enim sonat intelligendum est de semicirculis eiusdẽ circuli.

Primùm igitur ex quibus hæc constet ratio videamus.

Sunt autem numero paria, & ea ex quibus argumentationes constant, & ea in quibus ratiocinationes versantur: quippe cùm probationes ex propositionibus conficiantur, & ratiocinationes de quæstionibus sint.

Verba hæc deprompta sunt ex. 3. cap. interprete Perionio, quo in loco discrimen aßignat inter propositionem & quæstionem Dialecticam, simulq; constituit. 4. cap. omnium problematum ac propositionum, quibus cuiusuis generis sint continentur, uel saltem ad ea reuocantur. Appellatur autem ab Aristo. hoc in loco πρότασις Græcè, propositio Latinè queuis enunciatio, quæ citra omnem disceptationem uera censetur, atq; ita tanquam cuius ueritas spectata sit, asseueratur. ἡ πρόβλημα Græcè, quæstio Latinè, Dialectices est illa quæ probabiliter uocatur in dubium, seu in contentionem utraq; contradictionis parte. Quod autem ait præscripta interpretatio Perionij planè cernimus errori obnoxiũ, sic enim apud Aristo. Græcè legimus: ἔστι δὲ ἀριθμῷ ἴσα καὶ τὰ αὐτὰ ἐξ ὧν τε οἱ λόγοι καὶ περὶ ὧν οἱ συλλογισμοί. γίνονται μὲν γὰρ οἱ λόγοι ἐκ τῶν προτάσεων, περὶ ὧν δὲ γίνονται οἱ συλλογισμοὶ τὰ προβλήματά ἐστι, id est, sunt autem numero paria ea

ria ea ex quibus orationes cõſtãt, & ea in quibus ratiocinationes uerſantur, quippe cũ ex propoſitionibus orationes conficiãtur, & ratiocinationes de quæſtionibus ſint. Seligitur enim ad ſermonis genus quoduis, qui fiat gratia docendi altera pars contradictionis, quæ ſermonis inſtituto ſit cõſentanea: materies uerò ſubiecta circa quã, uel pro utraq; parte controuertenda, uel pro altera corroboranda Dialectica ratiocinatio uerſatur, eſt quæſtio, quæ in utramq; partem ambigitur.

Sed reclamabis in hunc modum, Ariſtotel. 1. cap. primi libri ſyllogiſmorum ita inquit: Eò autem differt demonſtratiua propoſitio à Dialectica, quòd illa eſt ex aientibus & negantibus unius partis aſſumptio: quippe ut cùm confeſſum ſumit, qui demonſtrat, nihil rogat: Dialectica propoſitio quæſtio eſt utramq; cõtradictionis partem cõplexa: ergo non rectè hic diximus Dialecticam propoſitionem alterutrius partis cõtradictionis eſſe delectum, quæſtionem autem utriuſq; partis controuerſiã? Obiectio.

Dico doctrinam hanc nuper à nobis traditam planè. 3. cap. 1. Topicorum ab Ariſto ſub his uerbis explicari: Differt, inquit, ratione quadam propoſitio à quæſtione, nam ſi quæratur hoc modo, an ſit animal gradiens bipes, definitio hominis, aut ſit'ne, animal, hominis genus, propoſitio eſt. Sin hoc modo, ſit'ne, animal gradiens bipes, definitio hominis necne? quæſtio eſt. Hæc Ariſto. Quod autem obijcitur ita eſt intelligendum, ut propoſitio Dialectica re ſubiecta eadem mutata ſolùm dicendi ratione fiat problema Dialecticum, quod Ariſto. loco iam dudum citato paulò poſt his uerbis explanat: Pari igitur numero inter ſe reſpondent & propoſitiones, & quæſtiones, præſertim cùm ex omni propoſitione, ſi rationem dicendi mutes, quæſtionẽ facere poſſis. Dialectica igitur propoſitio in prima reſolutione rectè dicitur quæſtio eſſe utramq; contradictionis partem complexa: nam idonea eſt ut uocetur in dubium pro utraq; parte contradictionis, etiam etſi quatenus propoſitio dialectica unius partium cõtradictionis reuera ſit aſſumptio. Ex his perſpicuum eſt quatuor omnia fieri, quibus Dialecticæ quæſtiones, ac propoſitiõnes includuntur: uel enim poſtulamus quod ad genus pertinet, uel quod ad finitionem, uel quod ad proprium, uel quod ad accidens. Quòd ſi aliqua ſint præter hæc, ad aliquod horum erunt referenda. Dilutio.

Nunc dicendum eſt quid ſit definitio, quid ge-

X nus,

nus, quid proprium, quid accidens.

Definitio, est oratio, quæ id quod finitur explicat quid sit.

Quid sit horum unumquodq; iam initio nostræ Institutionis præmonuimus, huiusmodi explicationes decerpẽdo ex Porphyriano textu. Nũc non erit præter rem ex Aristo. fonte has ipsas exhaurire. Quid igitur sit Finitio his uerbis quarto capite nobis exponit ad hunc modum: ἔστι δ' ὅρος μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. id est, Definitio est oratio, quæ id quod finitur explicat quid sit. Appellatur autem Finitio Græcè ab Aristotele, nunc ὅρος, id est, finis, nunc ὁρισμός, id est, finiens, nonnunquam λόγος, id est, ratio. Primũ quidem præmonuimus quia includit in se omnia quæ sunt in essentia rei, quæ uerò nõ pertinent ad hanc excludit. Alterũ, quia ea est ratio, quæ adhibetur in argumentum ad ostendẽdam causam propter quam hoc, uel illud esse quidpiam nos existimemus. Refert autẽ Aristote. ad finitionum ordinem quæstionem, qua quærimus, an aliqua sint idem, an diuersa: atq; ita finitionis attributum, ut inquit Perionius, ut uerò Boëtius, annexum finitionis dictam quæstionem facit. Quid autem sit proprium, quid genus, quid accidens, superius fuit satis explicatum. Illud hic nos non prætereat, generis attributum esse differẽtiam, necnon quæstionem illam, qua postulamus, an aliqua sint idem, an diuersa genere. Cæterùm accidentis attributa sunt rerum omnium comparationes, quæ ab accidente ducuntur: ut utrum expetendum magis, quod honestum est, an quod utile? & utra uita suauior, eáne quæ uirtute, an quæ uoluptate dirigitur? Ex quibus efficitur nihil uocari posse in dubium, quod non pertineat ad finitionis, generis, proprij, uel accidentis considerationem: cùm necesse sit sub horum aliquo contineri, uel ad aliquam illarum rerum spectare, quæ ijs ipsis attributæ sunt. Percontabitur aliquis, qua

Dubium. ratione prætermiserit speciem, quam nec recensuit inter hæc, nec fecit

Solutio. alicuius horum attributum? Respondeo, id quidem prudenter factum ab Aristo. quandoquidem eadem loca, quæ nos instruent ad discernendum an hoc sit genus illius, eadem nimirum conducunt ad discernendũ quod illud sit species huius. Est enim eiusdem negotij & instituti disiudicare an uirtus sit genus modestiæ, an hæc sit species illius: cũ enim relata sint

neutrum intelligi potest sine altero. Quo fit ut præter loca generis nulla seorsum ad speciem præcepta, neq; loca destinarit. Poterat autẽ, ut ipse docet cap. 5. ea omnia, quæ ad proprium, quæ ad genus, quæ ad accidens referuntur, definitionibus attribuere: sed ut facilius consuleretur iuuentutis utilitati, maluit summam illam rudi, ut ait, Minerua, facere partitionem in prædicta. 4. cap. Deinde ijs adiungere & coordinare, quæ nominauit attributa. Sunt autem horum singula petenda ex decem illis Categorijs, tãquam ex decem omnium locorum fontibus: ideoq;. 7. cap. illa nobis priùs commendat, à quibus omnium locorum notitia primũ omniũ est deriuãda sub his uerbis. Deinceps, inquit, Categoriæ exponendæ sunt, ad quas hæ quatuor rerum, quas diximus, distinctiones, differentiæq; referuntur.

Primùm igitur exponendum est quid sit propositio Dialectica, quid quæstio Dialectica.

Est autẽ Propositio interrogatio probabilis, quæ non sit contra opinionem, vel omnium, vel complurium, vel sapientũ: ac sapientum, aut omnium, aut permultorum, aut eorum quorum maximè perspecta est & spectatæ sapientia.

Quæstio Dialectica est, quæstio, aut ad expetẽdũ, vel fugiendũ, aut ad veritatẽ cognitionẽq; pertinens, idq́; vel per se, vel quia adiumentum afferat ad aliquid aliud, quod horum altero genere continetur.

Propositio Dialectica, inquit, est interrogatio probabilis: quod perinde est ac si diceret: etsi re subiecta eadem enunciatio priùs in utramq; partem contradictionis controuersa quæstio nuncupetur: tamen cùm alterutra parte cõtradictionis sub interrogationis forma citra disceptationem ab oppugnante defensori iam cõcedenda proponitur, & sub for

ma hac interrogationis petitur, tum propositio nuncupatur. Itaq; oppugnator antequam incommodum aliquod propugnatorẽ urgeat sub specie interrogationis boni consulendæ postulat id, quod antequam aliquid respondenti negotium facessat, tanquam probabile facilè tribuitur, quod postea in media disceptatione leui quauis occasione reijceretur. Incurret aliquis, argumentum ducens loco à testimonio Aristot. ex. 2. cap. primi de Demonstratione decerpto, ubi Aristo. uerba hæc sunt: Ac Dialectica quidem Propositio est utrauis, sine ullo discrimine, pars contradictionis demonstratiua autem altera tantùm: idemq; corroborans eiusdem testimonio primo cap. 1. Prioris resolutionis, ubi, Dialectica, inquit, propositio, quæstio est utramq; contradictionis partem complexa: eodemq; loco paulò inferius ait: Dialectica uerò propositio quòd ad eum attinet, qui rogat. quæstio est contradictionis: quòd autem ad eum qui ratiocinatur est assumptum quid apparens, aut probabile. Hæc Aristo. Dico Aristotelem rectè quidem statuisse in. 2. cap. primi de Demonstratione, propositionem Dialecticam utrãuis, sine discrimine, partem contradictionis esse, ad probandum aliquid sumptam, quia demonstrationis utraq; sumptio ita est rata, ut & eius contradicens nunquam sumi posset ad aliquã aliam conclusionem corroborandam: at uerò sumptiones Dialectici syllogismi huiusmodi sunt, ut magna parte non solùm ipsæ, uerùm etiã earum contradicentes suo loco ac tempore deligantur, tanquam consentaneæ ad aliam conclusionem. Vt si sermonẽ habeam apud mercatores, hoc effatũ: Præstat, inquam, ditari, quàm philosophari, probabile est, ualetq; plurimum ad aliquid persuadendum. Si uerò uerba faciã apud probos uiros, eosq; de literis benemeritos, eius contradicentem sumam tanquam probabilem. Vides igitur quo pacto Dialectica propositio utriusq; partis cõtradictionis, nunc huius, nunc illius, ut res postulat sumptio: at propositio demonstratiua una dumtaxat parte deligitur in sumptionem, nõ utraq; . Quod autem attinet ad alterum testimonium primi capitis primi priorum, ipsemet Aristot. seipsum explanat, discrimen ponens inter Dialecticam quæstionem, & propositionem: quòd quæstio sit posita in utriusq; partis disceptatione, propositio, cùm iam in propositionem, uel assumptionem deligitur & proponitur ad quæstionem corroborãdam. Aristo. igitur de propositione sui similis disseruit. Sed nunc ad nostrum

Obiectio.

Solutio.

propo-

propositum redeamus:est,inquit,Arist. 8.cap.1.Topicorum,propositio interrogatio probabilis, quæ non sit contra opinionem uel omnium, uel complurium,uel sapientum: ac sapientum aut omnium,aut permultorũ, aut eorum quorum maximè perspecta est ac spectata sapientia. Quod non secus est,quàm si diceres, propositio,quæ proponitur in antecedente argumentationis,ad fidem faciendã, ea est, quæ si uerba facias omnibus omnium sententia probetur:si pluribus, id est, uulgo,quæ uulgi sensui sit attemperata:si paucis,id est,sapientibus,quæ sit eorum iudicio quadrãs, aut saltem si uerba facias in media Philosophorum schola,huiusmodi sit ut si non omnium,aut permultorum existimatione, saltem eorum sententia sit firmata,qui maximè clarum nomen sunt consequuti. Quæstio autem,inquit,Dialectica, est quæstio aut ad expetendum & fugiendum,id est,Moralis:aut ad ueritatem cognitionemq; pertinens,id est,naturalis: uel quia adiumẽtum afferat ad aliquid aliud,quod horum altero genere continetur, utpote Rationalis,quæ nimirum in disceptatione posita est. Circa quod aduerte,duo in omni quæstione spectanda,formam,inquam, disserẽdi,quæ omnino Dialectici muneris est:ob idq; omnis quæstio,quæ uerisimiliter in utramq; partem controuerti potest in quauis materia uersetur,Dialectica nuncupatur:deinde materiam obseruãdum,quæ nimirum,quia triplex est, triplicem, quantùm ad materiam attinet, quæstionis differentiam facit:ut,inquam,una pertineat ad mores,cuius generis hæc est:utrum uoluptas bonum est,nécne? Altera sit solùm cognitionis & scientiæ,seu si mauis,Naturalis:ut si quæratur,sit,nécne sit mũdus sempiternus? Tertia quæ Dialectica,tum quantum ad formam,tum quãtum ad materiam attinet nominatur,cuiusmodi est,an quot modis unum contrariorum dicitur,tot modis & alterum. Ac Propositio, & Quæstio Dialectica quid sint expositum est.

Propositum autem sententia est admirabilis, cõtraq; opinionem omnium, alicuius eorum, quorum in Philosophia illustris est & peruagata fama: velut non posse contradici, vt placet Anthisteni: vel

moueri omnia, Heracliti sententia: vel vnum esse omnia, quemadmodum ait Melissus.

Propositum appellat admirabilem opinionem, quæ sit præter communem omnium sententiā à uiro in suo genere clarißimo adinuenta, ut uerbis Græcis explicat: θέσις δ' ἐστὶν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν, id est, Propositum existimatio est paradoxa (scilicet quæ sit præter communem omnium opinionem) quæ nititur fide alicuius clarißimi Philosophi: ut exempla textus designant, in quibus quid nam ueri sentiendum sit Aristot. partim in Philosophia naturali, partim in Metaphysica docet, nec est præsentis instituti.

Rationes autem quibus magnam ratiocinationū argumentorumq́ copiam parabimus, sunt quatuor: quarum vna est in propositionibus eligendis, altera in distinguendo quot modis quidq; dicatur: tertia, in differentijs inueniendis: quarta in similitudinis cognitione, & scientia.

Quatuor supersunt explicanda, quibus argumentorum copiam comparemus: dico quantùm attinet ad promiscuam locorum & argumentorum supellectilem comparandam: quorum unum in propositionum delectu cernitur: alterum, in homonymi distinctione positum est: tertiū uersatur in differentijs inueniendis: quartum, circa similitudinis cognitionem & scientiam suo munere defungitur. Hæc doctrina traditur ab Aristotele. 10. ca. primi Topicorum, quæ maximè omnium obseruanda est: siquidem qui uersatus in horum quatuor industria fuerit, reliquorū, quæ in sequenti tractatione subsequuntur, facilè peritus euadet & industrius artifex.

Propositiones igitur eligendæ sunt, quot modis in propositione explicanda diximus.

A finitione Seligendæ sunt propositiones, quæ uel omnibus, uel plurimis, uel sapiētibus: ijsq́; uel omnibus, uel bonæ parti, uel eruditißimis quibusq; probatæ sint.

ſint. Pariter quæ ſunt ſimiles, probabilibus, cùm enim ita ſe gerat ſenſus ad ſenſile, atq; ſcientia ad id quod ſub ſcientiam cadit, ueriſimile eſt (loco ab Analogia, quo nomine tum ſimilitudinem, tum proportionem complector) quòd ſi ſenſus idem ſit contrariorum, & eadem ſit ſcientia. Digna ſunt etiam delectu ſcripta, quæ tanquam memoria digna ſunt à grauiſſimis uiris poſteritati relicta, præſertim ſi ſint in quoq; diſciplinarum & artium genere ſelectiſſima, quæq; poſt accuratã in circulis Philoſophorum diſputationem, fuerint excuſſa. Notandæ ſunt etiam omnium ſententiæ, quas uideamus in prætio eſſe: ut in Theologia, ſacra concilia, Eccleſiæ canones, utrumq; teſtamentum, epiſtolæ D. Pauli: in medicina præſertim Hippocratis aphoriſmata: in hiſtoria plantarum, Theophraſtus, & Dioſcorides: in iuriſprudentia, regulæ iuris. Deniq;, ut in ſumma dicam, probatiſſimi cuiuſq; in ſua arte ſententiæ incredibilem propoſitionũ & perinde argumentorum uim ac ſupellectilem nobis miniſtrant. Eſt autẽ ditanda propoſitionum ſupellex & copia ope Philoſophiæ Naturalis, Moralis, ac Sermocinalis: ut ad omne diſſerendi genus euadat locupletiſſima. Sumendæ ſunt autem quàm maximè uniuerſæ omnes propoſitiões: ut unius ui multas ei ſubiectas complectamur. Qui enim ſibi compararit propoſitionem hanc, eadem, inquam, arte ſcientiáue contraria continentur, ampliorem nactus eſt facultatem ad pluribus fidem faciendam, quàm ſi relatorum, ſeu priuantium proponeret eandem eſſe facultatem: Cùm igitur uniuerſæ propoſitiones minimo negotio quamplurima complectãtur, earum unaquæq;, tantò plurium argumentorũ baſis eſt & fundamentum, quantò latiùs patet, uel in plura ſe fundit. Et hæc, quantum ad propoſitionum delectum, attinet. Porrò multiplicis diſtinctio ex ijs locis, quæ ſubſequuntur petenda eſt.

A ſimili

A circulorũ ſelectis.

A teſtimonijs philoſophorum.

A partibus Philoſophiæ.

Ab uniuerſo.

Ὁμώνυμον

Ὁμώνυμον, seu ambiguum discernitur loco

- Ab aduerso, utpote si aduersorum alteri
  - 1. Plura sint aduersa nomine & ratione.
  - 2. Seu plura ratione, nõ autẽ nomine tenus.
  - 3. Si partim aliquid aduersetur.
- A medio, si aduersorum
  - 4. Mediũ sit interdum, interdum uerò non.
  - 5. Sint media ratione distincta.
  - 6. Sint plura numero nunc, nunc pauciora.
- A contradicentibus. — 7. Si affirmatio sit ambigua, pariter erit & negatio: & uice uersa.
- A priuantibus. — 8. Si homonymia sit in priuatione, simul erit & in habitu: & ex aduerso.
- Ab ijs quæ cum altero conferuntur. — 9. Nam si unum relatorum sit ambiguum, & alterum.
- A coniugatis & casibus. — 10. Si coniugatũ ambiguè dicitur, et casus: necnon si casus, & coniugatum.
- A genere.
  - 11. Si diuersarum sit Categoriarum.
  - 12. Si duobus generibus subijciatur, quorũ neutrum sub altero continetur.
  - 13. Si genus contrarium sit ambiguum.
- A definitione.
  - 14. Si non eadem sit finitio, neq; uoce tenus, neq; reuera.
  - 15. Si non sit eadem reipsa.
  - 16. Si significata nõ cõparentur ad inuicẽ.
- A differẽtia.
  - 17. Si eadem sit diuersorum generum diuidens differentia.
  - 18. Si eiusdem nomine nunc hæc, nunc illæ sint differentiæ.
- A specie & differẽtia — 19. Si idem sit species & differentia.

Quibus.

Quibus locis manu ducamur ad ambigua discernenda. 12. ac. 13. cap. nos docet Aristo. Quorum primus ducitur ab aduerso, qui trifariã nos monet imprimis, an aduersum & nomine & ratione sit uarium? ut acuto, geminum est, & nomine & ratione aduersum: quod quidem in uoce graue, in magnitudine uerò nominatur obtusum. Hoc igitur argumẽto percipiemus ambiguum esse ipsum acutum: Quot enim modis unum contrariorum dicitur, tot modis & alterum. Pariter cum graui acutum aduersetur interdum, interdum leue, ob idq; geminum sibi, tum nomine, tum ratione correspondens, contrarium habeat, uerisimile est, graue nõ simplex: sed etsi nomine unum sit, ratione tamen duplex esse. Quot enim modis dicitur unum contrariorum, tot modis & alterum. Secundo loco nos docet, si contrarium, etsi nomine sit idem, tamen ratione sit aliud & aliud uerò consonum esse, quod oblatum est, non simplex esse nomine ac ratione eadem, quod nititur, quam dudum diximus ratione. Vt λὶυκὸ Græcè in uoce obscurum, idemq; in coloribus nomine tenus, non autem idem ratione aduersatur. Quo fit ut τὸ λὶυκὸ cùm non idem specie, quantumuis idem nomine sit cõtrarium: ut nomen ambiguũ sit ὁ λὶυκὸς. Tertiò nobis præcipit, si ei quod uocatur in dubium, an sit simplex, an multiplex, nunc aliquid sit aduersum, nunc secus: hoc planè indicat homonymon esse, non simplex. Itaq; φιλεῖν, ut animi est, contrarium habet odisse φιλεῖν autem, ut ad actionem corporis refertur, nihil habet contrarium, ob eam causam φιλεῖν multis modis dicitur. Medium tria nobis monita subministrat: primùm omnium, si illud ipsum de quo ambigimus, an sit homonymon, nonnunquam contrarium habet, cũ quo interiecta media obtinet: nonnunquam uerò cõtrarium, quod nullum cum ipso medium fert. Hoc enim perspiciemus homonymon esse, non synonymon: ut candido in coloribus, ita est aduersum obscurum ut inter ea medij sint interiecti colores puniceus, cæsius, flauus, uiror, & huiusmodi. At uerò in uoce inter claram seu candidam uocem & obscuram, nihil est medium: nisi fortè raucam dixeris. Quod si facias, saltem cùm plura sint media inter clarum & obscurum aliquando, aliquãdo uerò pauciora, pariter admonemur dijudicandum esse tanquam ambiguum, ut alter locus nobis præscribit. Cæterùm etiam admonemur, si medium nomine tenus idem sit utrobiq;, ratione tamen sui dißimile ex hoc nimirum percipi contrariorum,

1. Locus ab aduerso

2. Locus à contraria ratione.

3. Locus ab interdũ aduerso.

4. Locus à medio contrariorũ.

5. Locus.

6. Locus.

utrumq; ambiguum esse, ut si calidum & frigidum medium habeant nomine tenus idem, nempe tepens, cùm in animo perpenduntur & in corpore: tamen ob id quòd alia ratione tepens esse dicitur aliquis in animo, alia in corpore, utramq; horum hac ratione dignoscimus esse multiplex. Etenim corpore tepens dicitur qui neq; alget, neq; ardet: animo uerò qui neq; plus satis concitatus est, neq; torpet. Medium igitur tepens cùm sit homonymon argumento est contrariorum utrumq; planè multiplex esse.

7. Locus. Locus à disparatis nobis indicat, si alterum disparatorum multis modis dicatur, pariter & alterum: ut si non cernere uno quidem modo, sonet priuatum esse oculis: altero uerò, non oculorum defungi munere: cernere

8. Locus. totidem etiam dicetur modis. Par est ratio in priuantibus, nam quot modis dicitur unum, totidem & alterum. Si enim, sentire, bifariam dicitur, ut refertur ad animum, uel ut ad corpus, & sensu carere bifariam dici-

9. Locus. tur, modo ut pertinet ad animum, modò ut ad corpus transfertur. Nec dispar est ratio in ijs, quæ cum altero conferuntur: ut enim pater inter-

10. Locus. dum est naturalis, interdum adoptans, ita etiam & filius. A casibus etiam & coniugatis simile monitum deriuatur: quotuplex enim unum est, & alterum: ut si iustè, multis modis dicatur, modò ex sua sententia, modò rectè iudicare: iustum etiam geminum erit, & quod rationi, quantùm in nobis est consentaneum, & quod suapte natura rectum est. Est autem reci-

11. Locus. proca ratio & à coniugato ad casum, & à casu ad coniugatũ. A genere nos admonemur an idem nomine tenus nunc in una, nunc in altera reponatur Categoria: hoc enim argumento est homonymon esse: ut bonum interdum Deo tribuimus tanquam essentiæ, quæ suapte natura non alterius adminiculo bona est: interdum ad actionem, qua significatione bonum cibum appellamus, qui efficit & roborat ualetudinem: interdũ uirtuti, quæ qualitas est, attribuitur. Quo fit ut nomen bonum nunc ad unã,

12. Locus. nũc ad alterã Categoriam spectans homonymũ sit. Secũdo loco nos monet locus à genere, si uerbo tenus idem sub duobus generibus contineatur: quorum neutrum alteri subijcitur, id quidem ambiguũ esse, ut grus, nunc sub aue, nunc sub machina tanquam species constituitur: ergo sanè uerbũ grus, homonymon est. Quæ uerò duo à genere ducta iam dudum expli-

13. Locus. cauimus loca, etsi non congruant illi nomini, quod in dubium uocatũ est, an sit ambiguum, tertio loco genus nos admonet, ut in eius contrario id-

ipsum

ipsum perspiciamus:nam si contrarium sub diuersis Categorijs reponatur, uel sub generibus,quorum neutrum sub altero cõtinetur, sanè ut eius contrarium,ita etiam & ipsum est multiplex constituendum.

Vt cùm malo bonum contrarium sit, bonum autem in diuersis Categorijs reponitur,ex hoc deprehendemus huius loci beneficio malum homonymon esse. A finitione ducitur monitum,ut in quibus nõ eadem cernitur definitio:censeantur ambigua:ut candor in corpore dicitur color dißipans uisum,in uoce finitur,candor esse uox,quæ ocyus,& acutius ferit auditum. Quò fit ut cùm finitio candoris,tum nomine,tum ratione sit sui dißimilis,clarum,seu candidum dicatur ambiguum. Similiter si finitio nõ sit eadem reuera etiam, etsi sit eadem nomine tenus argumentum præbet homonymiæ,ut si finias: Ens est id quod est in rerũ natura,etsi uoce tenus omnium, quæ sunt eadem uideatur esse finitio:non tamen eadem ratione seu re subiecta. Locus à comparatione nobis etiam administrat uim dijudicandi,an aliquod nomen sit ambiguum: nam ea quæ quidem eodem nomine significantur,si nullam inter se comparationem subeant,argumẽto est quod homonymos dicantur:ut cum λιγυρὸν Græcè,clarum Latinè, nũc uoci,colori nunc tribuatur:cùm nos clarum colorem cum clara uoce cõparare non ualeamus,quippe cùm nemo discernere ualeat quanto color uoce,uel uox colore clarior sit,ex eo percipiet clarũ in uoce ac in colore homonymõ esse:quandoquidẽ hæc duo genera inter se nullã subeũt cõparationẽ. Quoniã autem diuersorũ generũ, quorum neutrũ ab altero cõtinetur diuersæ speciei differentiæ sunt, obseruandũ an idem nomine tenus diuersorum generum,quorũ neutrum ab altero continetur,sit nunc unius nunc alterius differentia. Nam si sic eueniat, nomen illud censendum est ambiguum:ita fit ut uocabulum acutum,sit in homonymis,quia uox à uoce differt quòd acuta sit,item à magnitudine magnitudo. Iam illud etiã spectãdum est eorum'ne quæ eidem nomini subiecta sunt,diuersæ sint, quibus diuidatur differentiæ:ut coloris in corporibus differẽtiæ sunt,quod ualet ad dißipãdum aspectum, & quod ad fouendũ,in figuris uerò Rhetoricis prædictæ minimè sunt differentiæ : quò fit ut color homonymon sit. Postremò quoniam species nullius differentia est,uidendum est eorũ, ne quæ eidem nomini subiecta sunt,unum in specie,alterum in differentia numeretur,ueluti candor,qui accidit corpori,coloris est species, qui autem in uoce spectatur differentia.

14. Locus. 15. Locus. 16. Locus. 17. Locus. 18. Locus. 19. Locus.

Differentias autem in ijs primùm quæ ad vnũ genus referuntur perspicere, & iudicare debemus, veluti quid inter iustitiã, & fortitudinem intersit, & inter prudẽtiam ac temperantiã: quoniam hæc ex eodem genere virtutis nata sunt omnia.

Cap.14. duas postremas ad argumentorũ copiã parandã subiungit industrias. Dico tertiã, quæ in inueniẽdis differẽtijs, & quarta, quæ in similitudinis cognitione uersatur. Monet igitur nos ut in his, quæ ad unũ genus referuntur ingenium assuefaciamus, maximè in perspicienda eorũ differentia: similitudinem uerò rimari conemur in ijs quæ in diuersis generibus collocantur. Si enim in ijs rebus, quarum magnæ sunt dissimilitudines & distinctiones, similitudinem, in simillimis uerò differentiã uenemur beneficio usus & exercitationis, ad omne genus disceptationum euademus industrij. Est autem incredibilis utilitas ad omne genus argumentationum comparandum, non solùm ad definitiones ac diuisiones moliendas, quæ ex similitudinum ac differentiarum studio & diuturna & accurata obseruatione dimanat, ut Arist. nouissimo cap. primi libri docet. Diximus de ijs quæ pertinent ad uniuersam rationem probabiliter disserendi, nunc res postulat ut ad singulas prædictarum quatuor quæstionum deueniamus. Circa quod aduerte Aristotelem in secundo Topicorum de accidentis quæstione disserere. Tradit enim loca, quibus adminiculis dijudicemus quæstionem accidentis. Quia uerò quodq; attributũ alteri, inquam, subiecto simpliciter insit, si sub nullo reliquorum attributorum contineatur, reliquum est ut sit eius accidens tradens, in. 2. libro loca, quibus discernamus an attributum uerè simpliciterq; de subiecto dicatur (uulgus hæc appellat loca simplicis inhæsionis) satisfactum accidẽtis quæstioni ducit. Exorsus est autem ab accidentis locis, uel quia id postulabat ordo doctrinæ, quòd sit accidẽs nobis notius, uel quia priusquã dijudicemus an aliquid sit genus, uel definitio, uel proprium, uel accidẽs, discernendum est an simpliciter attributum subiecto conueniat, quòd ijs ipsis locis, ut dudum dixi, quæ ad accidens maximè accommodantur, est expendẽdum.

Quæst-

Quæstiones autem partim vniuersæ sunt, partim singulæ: vniuersæ sunt hæ, Omnis voluptas in bonis est, nulla voluptas in bonis est. Singulæ hæ, est quædam voluptas in bonis, quædam voluptas nō est in bonis.

His uerbis auspicatur Aristo. primo ca. 2. libri Topicorum, quod de industria facit, ut ostendat tum ad uerum firmandum, tū ad falsum euertendum quæstiones uniuersas, proindeq; propositiones in toto præclariores esse. Primùm igitur, inquit, de locis, qui ad refellendum totum genus pertinent, dicendum est. Illud autem, ante quàm aggrediatur suum negotium, ut aduertamus nos monet hoc interesse discriminis inter accidens & reliqua tria attributa, quod in reliquis, ex eo quod attributum suo subiecto insit, statim efficitur ut de eo uerè dicatur: at uerò in accidente secus euenit, quandoquidem fieri potest ut candor sit in Aethiope tanquam accidens in subiecto, cùm tamen uerè de eo minimè dicatur. Nunc ad explicanda accidentis loca gradum faciamus.

Dialectica loca, quæ traduntur ab Aristote. 2. lib. Topicorum, tum ad simplicis inhæsionis, tum ad accidentis quæstionem accōmodata.

- A genere. 1
- A partibus. 2
- A finitione. 3
- A uulgari modo loquendi, & ab eruditorum sententia. 4
- A multiplicis distinctione. 5
- Ab ijs quæ multifariam, non autem ὁμωνύμως dicuntur. 6
- A perspicuitate. 7
- A genere. 8
- Ab specie. 9
- A genere. 10
- A consequentibus & ab antecedētibus. 11
- A tempore. 12
- A dolo. 13
- A repugnātibus immediatis. 14
- A notione uerbi. 15
- A temporis differentijs. 16
- Ab accidente. 17
- A contrariorum sextuplici comparatione. 18

1. à genere. Primùm uidendum est, an id quod alio modo dicitur pro accidente explicarit: quod peccatum in genere uersatur maximè, ut si quis candori accidere dixerit, quòd sit color: uel si quis candorem colore perfusam esse dixerit, aut incessu moueri. Nullo enim ex genere παρωνύμως trahitur de specie dicendi ratio: omniaq; genera συνωνύμως de formis dicuntur. Itaq; delendum est aßignatum accidens: species enim & nomen generis sibi uendicant & definitionem. Accidens uerò παρωνύμως, id est, quantum ad nomen attinet de re subiecta dici potest, sed ratione, quæ sit in subiecti finitione dici non potest. Alius locus est, si aliquod attributum in aliquo subiecto toto, uel nullo esse dicatur, quod nimirū subiectū

2. à partibus. sit genus ad refellendū hoc, animū circunferre debemus per singulas eius partes, à primis exordiēdo atq; diuisionis adminiculo descendendo usq; ad indiuiduas formas: reliqua enim quia infinita, prætermittenda sunt. Obseruabisq;, an in aliqua partium secus res se gerat, quàm dictum sit in uniuersum. Nam si reuera secus sit in parte, quàm in toto uniuersim dictum est, reijciemus & infirmabimus propositam existimationem: ut si aliquis asserat omnium oppositorum eandem esse disciplinam, fac periculum in aduersis, in relatis, priuantibus, & contradicentibus, descendēdo ad infimas usq; formas (quas Aristot. in textu indiuidua nominat, quia diuisione Logices præceptiuæ diuidi amplius nequeunt: ut Porphyrius ex sententia Platonis monuit cap. de specie) id est, candorem, & atrorē: uisum, & cæcitatem: similitudinem, & iustitiam, ac non iustitiam: necnon similes quasuis oppositorum species. Si enim occurrant duo contraria seu si mauis opposita, quæ non pertineant ad eandem doctrinam sublata & infirmata erit continuò proposita quæstio. Deseruiet autem huiusmodi, si quod in toto dictum in singulis partibus quadret ad confirmandum

mandum: si uerò in aliqua parte dissonet ad inuertendum. Alius ducitur locus ex definitione accidẽtis & rei cui accidit, uel utriusq;, uel alterius: nam si aliqua particula finitionis non eidem congruit, cui finitum, argumento id erit ad refellendum accommodato: ueluti si quæratur, Deusne iniuram faciat? Primùm explicandum est quid sit iniuriam facere, nam si sit sponte nocere, profectò Deus non facit iniuriam, quoniam Deus nocere non potest. Iam uerò exponendum est quæ sint corroboranda uulgi testimonio, quæq; sapientißimi cuiusq; sententia. Nam res nominibus ijs, quæ trita sunt uulgo & usitata appellandæ sunt: sed quæ sit earum uis & natura, non uulgi, sed præclarißimi philosophi iudicio æstimandæ sunt: ut salubria uulgi opinione uocanda sunt, quæ ualetudinis sint efficientia. sed utrum id de quo agitur efficiens sit reuera ualetudinis, nécne? de hoc non iam uulgi, sed medicorum iudicium spectare debemus. Præterea si multis modis quidpiam dicatur, obseruandi sunt accuratè singuli modi, tum ad confirmandum, tum ad refellendum accommodati: ut qui magis sunt è re nostra deligãtur in usum. Si enim lateat aduersariũ homonymia magnũ affert præsens locus emolumentũ ad utramq; partẽ cõtradictionis persuadendã uel refutandã: ut cùm in rationis cõpote lateat homonymia, si uelim ostẽdere omnem hominem esse rationis cõpotem, sic moliar argumentum: Rationis compos est hominis differentia complens: igitur omni homini uerè congruit. At uerò si hocipsum uelim demoliri sic innitar: Aliquis, inquam, homo est rationis expers: non igitur omnis homo est rationis compos. Præterea exponenda ea sunt, quæ non homonyma, sed multis modis dicuntur, in quibus idem atq; in præcedenti loco habendum est iudicium. Huius autem generis sunt, ut medicina, rerũ duarũ est scientia, unius quidem ut finis, alterius uerò ut medij ad finem destinati. Aut quia est rerum duarum, quarum utraq; finis est ueluti rerum contrariarum eandem esse artem. Aut quia unius est per se & ui sua, alterius uerò per accidens: ut scientiam habemus trianguli, quòd habeat tres angulos pares duobus rectis ex se, æquilateri uerò per accidẽs. Varietas igitur horum modorum nunc ad unam partem suadendam, nunc ad alteram erit præsidio. Praeterea tum ad confirmandum quid, tum ad refellendum magni est momenti, si loco obscurioris dictionis utamur dilucida, quantò enim apertiùs & planiùs fiet quod proponimus, tantò fi-

de

3. à descriptione.

4. à uulgari more loquendi, & ab eruditorum sententia.

5. à multiplicis distinctione.

6. Ab ijs, quæ multifariam, nõ autẽ à ὁμωνύμως dicũtur.

7. à perspicuitate.

de dignius, & ad persuadendum efficacius euadet: ut si pro nimia cura
8. A genere. rerum agēdarum, studium rerū agendarum dicā. Præterea si uocetur in
dubium, an in specie contraria duo insint, argumento erit genus: nam si
generi insint uerisimile est quod speciei: ut si discernere, seu diiudicare
genus est adsentire, discernere uerò licet rectè & non rectè, certè in sen-
su reperietur integritas & prauitas uersetur necesse est. Est enim discer
nere sentiendi, ac intelligendi genus. A forma etiam ad genus ferè simi-
9. Ab specie. lem in modum traducitur argumentum, ut si scientia sit bona & mala,
recta etiam & praua, sit affectio necesse est: siquidem affectio (uulgò in
scholis dispositio) scientiæ genus est. Atqui proximus est obnoxius ca-
uillo, hic uerò non, si nimirum eorum utroq; utamur ad roborandum: si
uerò ad refellendum, prior quidem uerus est, alter, uitiosus. Quoniam au
10. A genere. tem necesse est in quibus genus dicitur, in iis etiam speciem aliquam dici.
Consulendum est genus rei de qua est quæstio, ut si quis arte sit instructus
ac præditus arte Grammatica, aut Musica, aut aliqua alia instructus sit
necesse est. Atq; hic locus & ad confirmandum ualet, & ad repreben-
dendum. Si uerò uelis discernere, an genus congruat, an aliqua specierū,
an secus, finitionum præsidio, quæ rerum naturas aperiunt, facies quàm
facillimè: suggerunt enim finitiones crebrius occasionem ratiocinandi.
11. A cōsequētibus et anteceden. Est etiam habenda ratio antecedentium, atq; consequentium: nam ad cō
firmandum, locus ab antecedente, ad refellendum, à consequēte, perpetuò
confert, & necessariò persuadet: ut Socrates est iustus, ergo est studio-
sus: non est improbus, ergo non facit iniuriam alteri. Spectandum est e-
12. A tempore. tiam, an tempus alicubi discrepet: ut si quis scire dixerit memoria tenere:
nam hoc ad præteritum tempus, illud & ad instans, & ad futurum per-
tinet. Siquidem scimus præsentia & futura, ut solis deffectionem esse, uel
13. A dolo. fore. Meminisse nisi iam elapsa non possumus. Iam locus captiosus & fal-
lax est, aduersarium in arenam nostram subducere, uel impellere: in qua
nimirum argumentorum copia magna nobis ad manum suppetat. Est au
tem huius loci usus non semper opportunus, sed solùm locum habet aduer
sus calumniam, uel pertinaciam Sophistæ subuertendam: licet enim con-
tra Cretensem Cretizare. Vt autem præstat aduersarium nostram in a-
renam adducere, ita etiam cauendum nobis est ne argumentum accersa-
mus, in quo sit nobis magis uersatus, uel ubi difficilior probandi ratio no
bis occu-

bis occurrat: ſemper enim traſferendus eſt pro noſtra uirili eò loci, ubi & magna & facilis argumentorum copia ſpontè nobis obſequatur. In ijs autem rebus, quibus alterum ineſt neceſſariò, aut non eſt, uelut in homine, in quo uel morbus ineſt, uel ualetudo, ſi de altero poſſumus diſputare in utramq; partem, de altero etiam poterimus. Deſeruiet itaq; locus & ad refellendum, & ad probandum, ut perſpicuum eſt.

14. A repugnantibus immediatis.

Atq; etiam argumentum ducendum eſt à notatione uerbi, id eſt, ab explicatione, quam id ipſum ad quod ſignificandum impoſitum eſt, ueluti εὔψυχον, id eſt, magnanimum, nō fortem, ut tritum eſt: ſed eū qui bene animo ſit affectus interpretemur: & εὔελπιν, id eſt, confidentem, eum explanemus, qui bona expectat. Itemq; εὐδαίμονα, id eſt, ingenioſum, eum eſſe declaremus, cuius animus ſit ſtudioſus: ut enim Xenocrates ait, genius unicuiq; animus eſt. Hic uerò pro uario aſtrorum aſpectu, ambientis, alimentorum, & corporis, nunc temperie, & nūc intemperie, in uno quidem bonus genius, in altero malus efficitur.

15. A notatione uerbi

Iam cùm res aliæ neceſſariò eueniant, aliæ plerūq;, aliæ fortè & temerè: ſi quis eam qui horum uno modo euenit, altero dixerit patebit aditus ad inuertendum.

16. A temporis differentijs.

Illud etiam uidendum eſt, an eandem rem ſibi accidere, quaſi aliam quiſpiam poſuerit: ut ſi quis gaudio lætitiam accidere dicat, is idem ſibi accidiſſe confirmauit.

17. Ab accidente.

Quoniam autem ſex modis contraria iunguntur, & quatuor ſolùm modis iuncta repugnantiam efficiunt: ſumenda ſunt contraria, ut commodum erit, & ei qui confirmandi, & ei qui refellendi partes tuebitur. Ad confirmandum duæ quidem comparationes ſunt conſentaneæ: ut ſi de amicis bene meremur, uériſimile eſt quòd de hoſtibus malè mereamur: pariter ſi amicis incōmodus es, reliquum eſt ut inimicis ſtudeas. At reliquæ quatuor inter ſe repugnant, ob idq; ad refellendum ſunt accommodatæ: ut ſi de amicis benemereri decet, minus igitur decet de amicis male mereri: etſi hoſtibus incommodandum ſit, non igitur hoſtibus commodare debemus: etſi de amicis male mereri fugiendum eſt, profectò ſequendum eſt de amicis bene mereri: etſi hoſtibus iniurium eſſe iuſtum eſt, hoſtibus igitur officioſum eſſe, non erit æquum. In his igitur quatuor, in quibus altero extremorum incolumi contrarium penes alterum uariamus, ex uno affirmato ad alterum abnegandum aptè progredimur. Deligemus autē ex his, quæ noſtro inſtituto magis faueant.

18. A contrariorum ſextuplici comparatione.

Iam ſi quid ſit accidenti contrarium, cōſideran-

19. Ab accidentis cōtraria.

ſiderandum eſt an ei accidat, cui accidens conuenire dixerit: ſi enim hoc conuenit, illud nõ conueniet: quoniam fieri non poteſt, ut ſimul eidem cõtraria conueniant. Rurſus, ſi poſitum eſt accidens id, cui quid eſt contrarium, uidendũ eſt, idémne ſit contrarij & accidentis ſubiectum, idẽ enim eſt ſubiectum contrariorum: ut ſi eam partem animi, in qua uoluptates inſunt, dico ſenſum, aliquis ignorare dixerit, opinionem refellemus ſub hac forma: in ſenſu tanquam in ſubiecto nõ poteſt eſſe ſcientia, ergo neq; ignoratio. Quoniamq; quatuor ſunt contrariorũ genera, ſpectãda erũt diſparata ex eo argumento, quo uiciſſim retro ſe ſequuntur, & ei qui probabit, & ei qui refellet accommodato: ut ſi homo eſt animal, quod igitur non eſt animal, id non eſt homo. Hac enim forma & commutato ſic ordine conſtans fiet argumentatio. In ijs autẽ contrarijs, quæ aduerſa appellantur, hoc uidendum eſt, & ei qui probabit, & ei qui reprehendit an ex contrario contrarium ſit conſequens, ſiue directo, ſiue conuerſo ordine tractetur conſecutio. Directè autem argumentatio tractabitur hoc modo: fortitudinem uirtus cõſequitur, igitur ignauiæ uitium conſequẽs eſt. Contrà autem conſequẽtia ſunt, ut firmam corporis affectionẽ ſequitur bona ualetudo, infirmam uerò affectionem, morbus non ſequitur, ſed contra morbum infirma conſequutio. Rarò autem illa è conuerſo conſequutio in aduerſis incidit, ac ferè directa tractatur argumentatio: ut ſi candor diſſipat uiſum, atror igitur counit atq; corroborat. Quod item in priuantibus perinde atq; in aduerſis conſiderandum eſt, niſi quòd in his non retrò commeat argumentum ex conſequentibus, ſed directò neceſſariò: ut ſi aſpectus eſt ſenſus, cæcitas igitur ſenſus eſt priuatio. Vt enim ſe gerit habitus ad habitum, ita priuatio ad priuationem. Atq; etiam de ijs quæ cum aliquo conferuntur, eodem modo, quo de priuantibus iudicandum eſt: ut ſi triplum eſt multiplex, etiã ſubtriplum ſubmultiplex erit. Confertur enim triplum cum ſubtriplo, & multiplum cum ſubmultiplici. Valet igitur in ijs etiam à conſequentibus tractatum directò argumentũ ſi ſint ſuapte natura talia: nam in ijs quæ nõ ſuapte natura, ſed uerbo tenus cum altero conferuntur, interdum ſecus euenit. Neq; enim rectè colligerem: ſcibile quidem eſt opinabile, igitur ſcientia eſt opinio. Rurſus à coniugatis & caſibus ducendum eſt argumentum, ſiue confirmemus quid, ſiue refellamus, coniugata nominat Ariſtote. 3. cap. iuſtus, iuſtitia, iuſtè, quia

20. A ſubiecto.

21. A contradicentibus ſeu diſparatis.

22. Ab aduerſis.

23. A priuantibus.

24. A relatis.

25. A coniugatis & caſibus.

quia sunt ex uerbis eiusdem generis. Cicero, quia sub iugo eiusdem nomenclaturæ posita sunt. Casus autem uocat, ut ipsemet ibidē docet, ut iustè, fortiter, salubriter, & aptè ad firmā corporis affectionē, quæq; eodem modo dicuntur. Est autem omnis casus coniugatū, non autē ex aduerso omne coniugatum est casus. Nectetur igitur argumentatio sub hac ratione: Si iustitia sit in rebus laude dignis, etiam iustus & res iusta in ijs sit necesse est: concludetur itaq;, quòd iustè fit etiam laudabiliter fieri. Non solùm autem in eo quod in quæstione est expectāda, sunt cōiugata, sed etiam in contrario: ut quod bonum sit, non necessariò esse iucundum: neq; enim quod malum est, necessariò molestū est: etsi quod iustè fit, id fiat scienter & peritè: id etiam quod iniustè, inscitè & imperitè fiat necesse est. 26. A contrario coniugati.

Præterea ab ortu & interitu rerū, & ex causis efficientibus & corrumpentibus magna copia suppetit ad disputandum, siue confirmare uelimus, siue refellere. ut si ortus, aut efficiēs cōmendatur, rem esse laudandā ducamus: & uice uersa. Si uerò rem demoliens, uel interitus malus est, cōtrà rem esse bonam fit uerisimile, necnon ex aduerso. Quarum enim rerū causæ euertentes, seu interitus, sunt in bonis, eæ sunt numerādæ in malis. 27. Ab ortu & interitu, necnō ab efficientibus & interimentibus.

Proximus locus est à simili, in quo uidendum est an res similes eodē modo se habeant: ut si scientia una sit multarum rerum, etiam opinio. Valet autem in utramq; partem hic locus uerisimiliter, non autem necessariò. Qua in re miror quòd Perionius necessariam fecit huiusmodi consecutionem, cùm Aristo. uerba Græcè id sonent: εἰ μὲν γὰρ ἐπί τινος τῶν ὁμοίων οὕτως ἔχει καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμοίων εἰ δ' ἐπί τινος μὴ, οὐδ' ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁμοίων, *id est, in unoquoq; similium similis est habēda ratio, quæ in aliorū similium natura & ui cernitur, quæq; in uno minus reperitur, neq; etiam in altero comperietur. Quibus uerbis Aristo. nihil minus indicat, quàm locū hunc esse necessarium. Perionij uerò interpretatio hoc præ se fert, ut, inquam, argumentum, quod hoc loco nititur esse necessarium. Si enim, inquit Perionius, in aliqua re simili ualeat, in cæteris etiā ualeat necesse est. Tritum est in scholis argumentum à simili, claudicat altero pede. Est autem locus uerisimilis, tum ad confirmandū, tum ad insectandum.* 28. A simili.

Considerandum etiam est, an in uno, an in pluribus etiam res eodem modo se habeat: ut si scire sit cogitare, multa scire erit multa cogitare: quod si non hoc, nec scire erit cogitare. multa enim scientia com- 29. A numero.

30. A maiori & minori. prehendi possunt, multa simul cogitari non possunt. Suntq; ex maiori &
minori quatuor loci, unus si maior res ex maiori sit consequens: ut si in-
iuriam facere malum est, & maiorem iniuriā facere, maius malum. Atq;
inutramq; partem hic locus adduci potest. Alter locus est cùm una res
duabus cōparatur: si enim cui uerisimilius est conuenire nō conueniat, ne
illi quidē cui minus: ut si dux propugnaculum hoc expugnare nō potest,
probabile igitur est, ne militem quidem. Tertius, si cui minus probabile
est conuenire conueniat, ei etiā cui uerisimilius: ut si discipulus beneme-
ritus est de literis, ergo & preceptor. Postremus est, si qui minus ualet
uiribus animi, uel corporis minus formidolosus est, ille igitur qui ampli-
us pollet utrisq; uiribus confidentior erit. Sequitur locus ex ijs, quæ paria
31. A paribus. sunt: si enim unū alteri conueniat & alterum, uel si eorum uni aliquid tri
buatur, & alteri quod tribuatur uerisimile est, non autem necessarium:
32. Ab additione. Alius locus sequitur ex additione, hoc modo: si una res ad alterā addita
eam faciat bonā aut albam, cùm prius bona & alba non esset, quæ addita
est bona, erit & alba: ut si inopiæ, quæ suapte natura mala est, humilitas
& patientia adiuncta bonā reddit, est igitur patientia & humilitas bo
33. A maiori & minori ad simpliciter dictum. na. Quod enim melius est, bonum est: quodq; deterius, malum. Eodēq; mo
do uidendum quid quadam ex parte, quid aliquādo, & alicubi esse dica-
tur: si quid enim quadam ex parte posit attribui, aut aliquādo, aut ali-
quo in loco (quod uulgus appellat secundū quid) id certè omnino, id est,
simpliciter esse potest. Est quidem locus uerisimilis, non autē necessarius.
34. Ab adiectione. Itaq; alicubi etiā immolare patrem laudi ductum est, ut apud Tribalos,
simpliciter autem non datur laudi & gloriæ, quod impium est.

Dialectica loca, quæ traduntur ab Aristo. 3. lib. Topicorum ad consilia ineunda in rebus humanis pertinentia.

A diuturnitate	1. locus.	Ab efficiente	7.
A testimonio	2.	A simpliciter bono	8.
A meliore arte	3.	A meliori bono	9.
A suapte natura bono.	4.	A subiecto meliori uel priori	10.
A fine	5.	A finis propinquitate	11.
Ab ex se bono	6.	Ab efficientium scopo	12.

A pro-

A proportione 13.
Ab ijs quæ magis in honore & pretio sunt 14.
A consequentibus 15.
A bonorum numero 16.
A tempore 17.
A temporis perpetuitate 18.
Ab indigentia 19.
Ab ortu, uel interitu, uel abiectione, uel origine 20.
A similitudine melioris 21.
Ab insigniori 22.
A difficili 23.
A proprio 24.
A minus molestis 25.
A simpliciter bono ad optimū 26
Ab optimo ad simpliciter tale 27
Ab amicorum studio. 28.
Ab ijs quæ non possunt ab altero comparari 29.
Ab eo quod non indiget alterius adminiculo 30.
Ab eo quod malumus nobis attribui 31.
A uituperatione minori, uel maiori 32.
A propria uirtute 33.
A bonorum efficiente 34.
A casibus 35.
A maiori 36.
A præstantia 37.
Ab studio 38.
Ab adiecto 39.
A detractione 40.
Ab expetendis propter se 41.
Ab ijs quæ suiipsius, non alterius gratia expetuntur 42.
A diuisione 43.
Ab bonorum præstantiori genere 44.
Ab indifferenti, quod Græci ἀδιάφορον dicunt 45.
A comparatione 46.
A suapte natura bono 47.
A coniunctione 48.
Ab eo quod eius contrario minus participat 49.
A contrarijs 50.
A maiori & minori & pari 51.
Ab uniuerso 52.
A genere necnon ab eius diuisione 53.

3. Tertio libro Topicorum Arist. loca tradit ad ineundum consilium humanum pertinentia: quādoquidem uniuersa uis consilij humani in hoc posita est, ut duobus propositis, uel pluribus, discernamus, quodnam sit optabilius, aut melius.

Ac diuturniora quidem anteponenda sunt breuioribus: ut animi bona corporis bonis. Et quæ prudētes anteponūt, aut uiri boni, aut leges rectæ, aut peritißimi quiq; in sua arte, aut quæ bona pars cōmēdat, aut quod omnes probāt, aut quod omnia consectatur: cuiusmodi bonū est. Expetunt enim bonū omnia. Sunt autem singula quæq; horū quæ recēsuimus

1. Locus à diuturnitate.
2. à testimonio.

magis expetenda, estq; argumentum ducendum, nunc ex ijs, nunc ex illis: ut res de qua dicimus postulare uideatur. Suntq; omnino anteponenda ea, quæ à meliore arte proficiscuntur. Quo argumento philosophiæ opus, quam architecturæ præstantius est: item Theologiæ munus, quàm artis medicãdi, huius etiam, quàm artis modulandi, opus præclarius est, idq; simpliciter ita est percipiendum: nam unicuiq; intra limites suæ artis ea quæ præcipiuntur, reliquis artium præceptis præferenda sunt.

3. à meliore arte.

Deinde anteponenda ea quæ ui sua in genere boni sunt, ijs quæ non sunt: ut uirtus diuitijs. Anteponuntur etiam quæ propter se expetuntur ijs quæ propter aliud: ut ualetudo exercitationi. Est enim finis perpetuò præclarior medijs, quæ destinãtur ad ipsum finem. Et quæ per se bona, ijs quæ ex accidenti magis expetenda sunt: ut amicorum iustitia, quàm hostium: nam amicos propter ipsos met iustos esse optamus, etiam si nihil inde ad nos ueniat emolumenti. At hostes propter aliud iustos esse optamus, ut inquam, nihil nobis obsint. Et ex quibus per se bona propagantur magis eligenda, ijs quæ per accidens bonorum causa sunt: ut uirtus, fortunæ. Illa enim per se efficiens est causa bonorum, hæc ex accidẽti, idemq; ferè iudicium habendum est de malorum efficientibus. Quod enim per se causa malorum est, magis est declinandum, quàm quòd per accidens: ut uitium fugiendum est potius, quàm fortuna. Illud enim per se malum est, hæc uerò casu. Et quæ omnino bona sunt, ijs anteponuntur, quæ alicui bona: ut ualere, quàm secari magis optãdum. Quoniam illud simpliciter bonum est, hoc solùm egenti sectione bonum existimatur. Et quæ præstantioris rei bona sunt magis eligenda, ijs quæ minus præstantis: ut bona Dei, hominum bonis: & animi, corporis bonis sunt anteponenda. Et quæ in melioribus, aut antiquioribus, aut in ijs quæ in maiore sunt pretio, aut honore, ea sunt anteponenda, ijs quæ in deterioribus, ut ualetudo uiribus corporis & pulchritudini.

4. à suapte natura bono.
5. à fine.
6. Ab ex se bono.
7. Ab efficiente.
8. A simpliciter bono.
9. A melioris bono.
10. A subiecto meliori uel priori.

Ex duobus, quod ad finem propius accedit, est eligendum: ut ad beatitudinem comparandam propius accedit uirtus, quàm bona corporis: hæc igitur illis anteponẽda. E duobus efficientibus, cuius finis melior, id etiam præstantius: ut legislator, medico. Illius enim finis est reddere ciues bonos, huius uerò, sanos. Ex efficientibus, & finibus proportione concludendum est, hoc modo. Quantò enim beatitudo ualetudine præstat,

11. A finis propinquitate.
12. Ab efficientiũ Scopo.
13. A proportione.

ſtat, tantò ſalubribus præſtant efficientia beatitudinis. Iam quæ per ſe in maiori ſunt honore, & laudabiliora ſunt ueniunt præferēda: ut amicitia diuitijs, iuſtitia ualetudini, & uiribus corporis. Illa enim propter ſe honorabilia ac laudabilia, hæc propter aliud: nemo enim opes propter ſe amat: ſed propter aliud: amicitiam autem propter ipſam colimus, etiam ſi nil inde fructus ſperemus. Ex quo maiora bona ſequuntur, id etiam alteri anteponendum eſt, quòd ſi mala conſequantur, ex quo minora mala oriuntur, id eſt eligendum.

14. Ab ijs quæ magis ĩ honore et pretio ſũt.
15 A conſeq̃ũtibus.
16. à bonorũ numero

Rurſus plura bona paucioribus anteponenda ſunt, ſi cætera ſint paria: ut bona corporis cum bonis animi, & bonis fortunæ magis expetẽda ſunt, quàm animi bona. In quo etiam quicq; tempore maiorem uim habet, id in eo magis optandum eſt, ut in ſenectute ſine moleſtia & cura uiuere, quàm adoleſcentia. Ea deniq; ratione in ſenectute magis expetenda prudentia eſt, contraq; fortitudo in iuuentute magis eligitur. Quæ per omne tempus ætatis plus poſſunt ijs, quæ aliqua ex parte utiliora ſunt: ut iuſtitia & temperantia fortitudine: quia illis ſemper, hac interdũ utimur. Quæq; ſeipſis cõtenta ſunt meliora, quàm quæ egent alijs, quòd in iuſtitia & fortitudine cernere licet: nam ſi iuſti eſſent, nihil loci eſſet fortitudini: at fortitudo ſine iuſtitiæ præſidio eſſe non poteſt. Quorum enim bonorum interitus magis declinandi ſunt, ea meliora, & quorum ortus meliores æſtimantur, ea ſunt anteponenda. Quæ meliori uel optimo ſimilia ſunt, & magis expetenda: in quo uidendum eſt, ut locus perpetuò ſit ſui ſimilis, an id quod meliori ſimilius eſt in eo ipſo genere, ſit ſimilius in quo alterum eſt melius: alioqui locus eſſet cauillo ſubiectus. Neq; enim præſtantior eſt equo ſimia, etſi ſimilior ſit homini. Quæ magis inſignia ſunt minus inſignibus anteponuntur: & laborioſa proclinibus, clariora enim ſunt nobis ea, quæ difficulter parantur, & propria communibus, quæq; moleſtiæ minus habent. Si quæ ſint alijs ſimpliciter præſtantiora, etiam quæ in eo genere præſtãtiſsima ſunt, ijs quæ in altero genere ſunt præſtantiſsima, ueniunt anteponenda: ueluti nobiliores equis homines ſunt, nobiliſsimus igitur homo ſit generoſiſsimo equo præſtantior. Et ſi res præſtantiſsimæ & clariſsimæ nobiliſsimis alterius generis præſtent, etiam ſimpliciter illis rebus excellunt: ut ſi clariſsimus homo generoſiſsimo equo præſtet, etiam homo equo præſtat omnino

17. à tẽpo.
18. à tẽporis perpetuitate.
19. Ab indigentia.
20. Ab ortu uel interitu uel adiectione uel origine.
21. à ſimilitudine melioris.
22. Ab inſigniori.
23. à diffi.
24. à proprio.
25. à minus moleſtis.
26. à ſimpliciter bono ad opt.
27. ab opt. ad ſimpliciter tale.

28. Ab amicorum studio. omnino. Quæ in amicos præstare cupimus, ijs quæ in quemuis: ut officia seruare & benemereri. Fit autem interdum, ut quæ simpliciter meliora sunt, non etiam magis expetantur. Philosophorum enim uita cùm eo genere uitæ, quod quæstui incumbit, & si sit melior, attamen ei cui res ad uiuendum necessariæ non suppetunt, non magis est expetenda.

29. Ab ijs quæ nõ possunt ab altero cõparari. Quæ ab alio non suppeditari possunt, ijs quæ possunt magis præstãt: ut uirtus diuitijs.

30. Ab eo quod nõ indiget alterius adminiculo. Quæ sine alijs expetenda sunt, ijs quæ nisi coniuncta cum alijs non expetuntur præclariora: ut prudẽtia uiribus corporis.

31. Ab eo quod malumus nobis attribui. E duobus si unũ dissimulemus, ut alterum nobis tribuatur id anteponendum, quo præditi esse aliorum iudicio uelimus: ut laboriosos nos esse negamus, quò magis ingenio ualere uideamur. Est ergo labori præferendum ingeniũ.

32. A uituperatione minori uel maiori. Quorum bonorum defectio minus in ijs uituperanda est, qui moleste ferunt ea à se abesse, & quorum defectio in ijs, qui non acerbè ferũt, magis reprehendenda est, illa quidem præstantiora: ut salutis animæ, quæ in uirtutibus posita est, defectio acerbius ferenda est, quàm diuitiarũ: magis igitur reprehensione dignus est qui uirtutum, quàm qui diuitiarum defectionem molestè fert. Quocirca diuitijs uirtutes anteponendæ sunt.

33. A propria uirtute. Eorum quæ in eodem genere sunt, quod propria illius generis uirtute & laude ualet: alteri quod eo caret anteponendum est. Cæterùm si utriq; propria uirtus insit, id in quo maior est alteri præstat: ut hominem peculiariter decet ratiocinari & rectè agere, tantò igitur homo erit homine præstantior, quantò felicius ratiocinatur.

34. A bonorũ efficiẽte. Quæ bonũ eum in quo sit efficiunt, ijs quæ non efficiunt, & in ijs quorum utrum efficit, quod magis efficit, necnon in bonum efficientibus, quod magis præcipuum bonũ præstat, est seligendũ: ut ratione primi scientiæ pecunijs, ratione secundi uirtutes moris scientijs, postremi causa animi bona, bonis corporis præclariora ducimus.

35. A casibus. Ex casibus etiam & usu, actionibus & operibus comparationis locus sumitur: ut si id quod iustè fit, ei quod fortiter anteponendum sit, iustitia fortitudini anteponetur. Et ex aduersum à coniugatis ad casum similis erit consequutio.

36. A minori. Si quo bono unum maius bonum sit, minus alterum, sanè maius magis expetendum est: ut sanitas bonum est, sed scientia præstantior est sanitate: ager uerò uel domus minus præstãs. quò fit ut scientia domo, & agro sit magis expetenda.

37. A præstantia. Quorũ præstãtia & laus præstantiæ laudiq; aliorũ anteponitur, ea etiam anteponẽda

sunt

sunt, ut amicitiæ gloria, & excellentia opum excellentiæ & exuperãtiæ anteponẽda est. Est igitur amicitia diuitijs anteponẽda. Quæ sibi quisq; parare & quærere malit, ea sunt anteponenda: ut amicus honestus utili. si eidem rei aliquid adiungatur, totumq; melius efficiat, id magis expetendum est: ut si diuitijs adhibita sagacitas hominem meliorem efficit, quàm pulchritudo: est itaq; pulchritudine magis eligenda. Id autem aduertendum est, ne id quod adiungitur alteri eorum, quibus iungitur sit adminiculum: alteri uerò nõ: ut serra fabricæ cùm sit magis adminiculãs, quàm falx, ob idq; fabricam perfectiorem reddat, nõ tamen simpliciter melior est. Idem ex detractione effici potest: quicquid enim est huiusmodi, quo detracto id quod reliquum est minus efficitur, id omne anteponẽdum: ut si felicitati honorem subtrahas, maior efficitur, quàm si diuitias: est igitur longè præclarior diuitijs honos. Quæ propter se digna sunt expetitu, ijs quæ ad hominum solùm existimationem & speciem, prius quidem seligenda sunt: ut ualetudo pulchritudine. Quæ etiam propter se quidem expetuntur, ijs quæ alterius gratia, ut bona animi, & bona corporis, bonis fortunæ: quãdoquidem hæc solùm propter aliud, illa uerò & alterius gratia. Diuisio etiam rerũ expetendarũ, magnã affert opem ad disserendum: ut cùm omnia expetantur utilitatis, honestatis, uel uoluptatis gratia, id quod plura horum nobis elargitur uniuersim, uel sigillatim præstabilius. Subordinatur huic loco argumentum ab utili, à iocundo, & ab honesto. Quæ melioris rei causa comparata sunt, eadem magis expetenda: ut quæ uirtutis, quàm quæ uoluptatis gratia. Et par est ex aduerso rerum fugiendarum ratio: ut scientias propter uirtutes exercẽdas, diuitias magna parte, ut uoluptate fruamur expetimus, & ex aduersum morbus magis declinandus & uitandus, quàm deformitas, quòd magis nos à uirtute detorquet. Minus etiã expetenda est res huiusmodi, quàm expetere æquè ac fugere liceat, quàm altera, quæ tantũmodo sit expetenda: ut robur corporis interdum expetendum, interdum declinandum, est igitur postponendum animi ui, quæ semper est expetenda. Ac comparationes quidem rerum inter se tractandæ sunt, si enim quæ in maiori honore sunt & pretio magis expetenda, & quæ gloriæ ducuntur & in honore sunt, simpliciter sunt expetenda. Cùm unum natura bonum, alterum minimè dicimus, quod suapte natura bonum alteri anteponendum: quo

38. Ab studio sui.

39. Ab adiecto.

40. A detractione.

41. Ab expetendis propter se.

42. Ab ijs quæ sui ipsius nõ alterius gratia expetũtur.

43. A diuisione.

44. Ab honorũ præstãtiori genere.

45. Ab indifferenti, quod Græci ἀδιάφορον dicunt.

46. A comparatione.

47. à suapte natura bono.

argumẽto liberalitas diuitijs præstãtior est. Quo ex loco nascitur quòd id sit magis eligendum, quod suapte natura maioris boni efficiens est.

48. A cõiunctione. Si quid ad eandem rem additum totum magis tale, uel tale efficiat, illud quidem magis est expetendum.

49. Ab eo q̃ eius contrario minus participat. Quæ mixta coniunctaq́; sunt minus cum contrarijs, ea magis talia, uel talia: ueluti candidius est, quod minus mixtum habet nigrorem. Est autem obseruanda in ijs maximè boni finitio, nec non pro uirili uenari debemus præcepta & monita in uniuerso genere: ut maiorum argumentorum suppellectilem obtineamus.

50. A contrarijs. Latißimè patet locus à contrarijs: æquè enim probabile est effari, si omnis uoluptas sit in bonis, etiam dolorem omnem in malis esse. Ampliatur autem locus hic adminiculo loci à coniugatis, ut si qua res iniusta sit in bonis, aliqua etiam res iusta sit in malis necesse est: & si quid eorum, quæ iniustè fiũt, malum est, aliquid etiam eorum quæ iniustè fiunt, erit bonum. Atque ita in reliquis. Vterque horum locorum alterius beneficio potest amplificari. Nec absimiliter locus hic cum loco ab interitu cõiunctus dilatari potest: si quid enim quod uim habeat interimendæ uoluptatis & scientiæ in bonis est, sit etiã necesse est aliqua uoluptas & scientia in malis. Itemq́; si aliquis interitus scientiæ sit in bonis, aut ortus in malis: erit igitur in malis aliqua scientia. A maiori ad minus abnegando contraq́; affirmãdo à minori ad maius: à pari uerò utroque modo argumentum est necessarium: ut si scientia bonum sit potius quàm uoluptas, Epicureus ullã scientiam in bonis ducat efficitur: ut ne uoluptas quidem ab eo in ijs numeratur. Et à minori: si uis corporis animi scientiæ postponẽda sit, sitq́; uis aliqua corporis bona, uerisimile est, aliquam etiam scientiam bonam esse. A pari: si par est ratio sanitatis in corpore, ac uirtutis in animo, semper uirtus in animo expetenda, ergo pariter & sanitas in corpore: uel uice uersa, sanitas in corpore interdum non est eligenda, ergo nec uirtus in animo. Est autem huius argumentationis progressus probabilis, non autem necessarius.

51. A maiori, minori, & pari.

52. Ab uniuerso. Danda opera est, ut quæstionem nostram ad uniuersum præceptum reuocemus: qui enim partem concedat totum etiam tribuere uidetur, quandoquidem, si uni pari ratione æquum putamus cõuenire omnibus, & uniuersum constitutum magnum afferet præsidium, tum ad refellendam contrariam, tum contradicentem.

53. A genere: necnon ab eius diuisione. Genera etiam uidendá sunt diligenter: eaq́; in partes, ut dixi, usque ad indiuidua

dua tribuenda. Dico autem genera tum subiecti, tum attributi: ut si uocetur in dubium, an uoluptas sit bona, obseruandum est genere bono in suas partes distributo, an uoluptas sub aliqua formarū contineatur: nam si uoluptas est bonum iocundum, uerisimile est quòd simpliciter sit bona, & uoluptas in animi & corporis uoluptatem dirimenda, quòd si animi uoluptas bona sit, quòd omnis uoluptas sit bona postulare possumus. Hoc autem uerisimile fit, non autem est necessarium. Possumus autem conficere constātem consequutionem huius loci monitu exenumeratione uniuersarum formarum, seu aiendo, seu negando, ad genus accōmodantes: ut ex aduersum, & firmando, & refellendo uniuerse possumus à genere ad speciem argumentum transferre: ut si uelim ostendere tempus nō moueri, sic molliar argumentum, tempus non oritur, non interit: nec accrescit, nec decrescit: nec à qualitate in qualitatē transmigrat: ne quidem à loco ad locum transfertur: tēpus egitur minimè mouetur. Ac ex ijs quidem locis argumenta depromimus ad confirmandum, uel refellendum quicquid in humanis consilijs ineundis uocatur in dubium.

Dialectica loca, quæ præscribūtur ab Arist. 4. lib. Topicorùm, ad genus probandum vel improbādum conferentia.

A cognatis	1. locus.	A differentia	12.
A quæstione qua quærimus quale sit quippiam	2.	Ab specie	13.
A categoria	3.	A differentia speciei perficiente.	14.
A participandi ratione	4.	A differentia generis diuidente.	15.
A uera speciei attributione.	5.	A generis differentiarum attributione.	16.
Ab eo quod nulla formarum participat	6.	A priori natura specie	17.
A latius patente specie	7.	Ab eo quod contrarij generis finitione participat	18.
Ab eisdem specie	8.	Ab speciei cōmunicatione	19.
Ab omnino diuerso genere.	9.	Ab homonymia.	20.
A superiori genere.	10.		
A speciem participantibus	11.		

1. Locus, à cognatis. Deinceps, quæ ad genus pertinent, admoneamus. Si igitur ponatur genus alicuius, obseruandum est, an de aliquo eorum, quæ alteri cognata sunt minimè dicatur: ut si uoluptatis genus bonum statuatur, an aliqua uoluptas non sit in bonis, uidendum erit: nam si ita fiat certè uoluptatis bonum nõ est genus, quippe cùm genus in formis omnibus, quæ sub ipsum 2. A quæstione qua quærimus quale sit quippiam. subiectæ sunt intelligatur. Deinde considerandum est, an in quæstione qua quid sit res exquiritur, minimè dicatur, sed ut accidens: planũ enim, est illud esse reijciendum: genus enim indicat quid sit sua forma nõ qualis. Cui loco affinis est accidentis finitio: cui enim quadret hæc minimè potest esse genus eiusdem, dico collatione. 3. à Categoria. Si quod propositum est tanquam genus, non in eadem Categoria sedem habeat, atque illa cum qua comparatur species, respuendum est huiusmodi genus: quo argumento nec cigni, nec niuis, album est genus. Necessum enim est, ut species recta

serie

ſerie ſub genere contineatur. Præterea uidendum eſt, an ſpecies genere participet, id eſt, an generis definitionem recipiat, nam ſi ſecus eueniat repellendum eſt iſtiuſmodi genus. Illud etiam obſeruandum, an ſpecies alicui uerè tribuatur à quo genus abnegetur, tunc enim delendum eſt genus: ueluti ſi aliquis, id quod eſt, genus proponat opinabilis refutandum eſt genus obiectum hoc nomine, quod in re, quæ nō eſt uerè cernitur opinabile, cui tamen, id quod eſt, repugnat. Si aliquid aſsignetur tanquam genus eius, quod neq; in diuiſione prima formarum collocatur, nec ulla formarum participat, delēdum eſt hac ratione genus: ut ſi motus uoluptatis ponatur eſſe genus, cùm uoluptas non ſit, ſpecies, inquam, immediatè diuiditur motus, nec ulla formarum participet, in quas primùm diuiditur, reliquum eſt, ut motus uoluptatis minimè ſit genus. Præterea illud etiam uidendum eſt an id quod poſitum eſt in genere, in pluribus cernatur, quàm genus: ut opinabile in pluribus, quàm id quod eſt, intelligitur. Semper enim plura complectitur genus, quàm ſpecies. Quò fit ut ſi genus ſpeciei reciprocum tribuatur, etiam ſit confutandum: ut ſi quis eorum, quæ res omnes conſequuntur, unum genus, alterum ſpeciem ſtatuat: qualia ſunt, id quod eſt, & unum. Neutrum enim horum alterius genus eſſe poteſt. Animaduertendum etiam eſt, an id quod pro genere adhibitum eſt, non eſt genus alicuius eorum, quæ ſpecie non differunt. Nam eorum quæ ſunt idem ſpecie, idem genus eſſe neceſſum eſt. Quò fit ut alioqui ueniat improbandum propoſitum genus. Amplius, cùm ſpecies una duobus generibus, quorum alterum ſub altero non continetur, ſubijci nequeat, genus adhibitum cum ſpecie conferatur, quæ ſub alio ab aſsignato genere contineatur omnino diuerſo reijciendum eſt tale genus: ut ſi quis iuſtitiæ genus eſſe, ſcientiā ponat, quoniam enim eius genus eſt uirtus, nec autem uirtus ſub ſcientia, nec ſub hac illa continetur, fieri non poteſt: ut ſcientia ſit genus iuſtitiæ. Præterea, in quibus ſpecies poſita, ut genus dicitur conſiderandum eſt, an etiam genus, quod datum eſt in quæſtione naturæ, de ijs de quibus forma dicatur, itemq; an quæ ſupra genus ſunt omnia: nam ſi quo loco hoc non conueniat, certè id quod datum eſt, generis nomen non obtinebit. Videndum etiam eſt an ſpeciei propoſitæ, ijsq; quibus cum ſpecies communicatur generis conueniat definitio. Neceſſe eſt enim generis finitionē, tum in ſpecie dici, tum in ijs omni-

4. A participandi ratione.

5. A uera ſpeciei attributione.

6. Ab eo quod nulla formarum participat

7. A latius patente ſpecie.

8. Ab eiſdē ſpecie.

9. Ab omnino diuerſo genere.

10. A ſuperiori genere.

11. Ab ſpecie participantibus.

12 A differentia. bus, quæ specie participant, quòd si secus eueniat sanè refellendum erit genus. Illud etiam num differentiam pro genere adhibuit, quoniam nullius rei genus differentia est, ut si uitæ aut sensus compos hominis genus quispiam dixerit, complens enim hominis differentia est, non genus. Eodē loco continetur, si quis genus diuidentis differentiæ tanquam speciei cōstituerit: ut si animal genus dixerit rationis cōpotis uel rationis expertis, aut numerum imparis genus aßignarit. Sola enim species, & indiuiduum genere participant: quò fit ut ex se hoc ipso qua talis differentia generis, non sit particeps. Prætereà illud etiam considerandū est, an genus in formarum numerum retulerit, id est, an speciem generis effecerit genus: ut contiguitatem speciem continuationis, & permixtionem temperationis quispiam dixerit: omnis enim continuatio, contiguitas est, non contrà (sumitur autem hoc in exemplo contiguitas latius) & necesse est omnem temperationem mixtionem esse, non ex aduerso: quò fit ut permixtio temperationis species potius, sit quàm genus. Videndum etiā illud est, an sub formarum aliqua perficientem differentiam, tanquam speciem sub genere collocarit: ut si Platonicus diceret, Deum immortalis genus esse. Itemq; illud, an genus dixerit differentiam: ut si quis temperationis differentiam assereret esse confusionem, seu miscellam. Prætereà illud intelligendum est, si differentia nulla earum, quæ generi subiecta sunt de specie, quæ data sit, dicatur, ne genus quidē dictum iri: nam quoniam de animo, nec par, nec impar dicitur, eò fit: ut ne numerus quidem. Iam uerò si species sit prior naturæ ordine, & genus secū una tollat, & euertat: nam cōtrà genus prius natura specie esse debet. Proptereà quòd species nunquam genus prætermittit & cōtrarij est, aut potest esse particeps. Illud etiam, an cum specie aliquid communicetur, quòd ijs, quæ subiecta generi sunt conuenire nō poßit omnino: ut si animus uitæ est particeps, nec ullus numerus poßit uiuere, certè animus esse numeri species, nullo modo potest. Illud etiā uidendū est, an species multis uarijsq; modis cum genere collata dicatur: sint enim genus & species synonyma. Cumq; omnium generū multæ sunt formæ ac species, si aliquis genus aßignarit alterius, cui consors species inueniri non potest, argumento est genus non rectè aßignatum esse. Illud etiam, an quod per trāslationē dicitur pro genere sit positum: ueluti si quis temperantiæ genus

13. Ab specie.
14. A differentia speciei perficiente.
15. A differen. generis diuidente.
16. A generis differentiarū attributione.
17. A priori natura specie.
18. Ab eo quod contrarij generis finctiōe participat.
19. Ab speciei cōmunicatione.
20. Ab homonymia.
21. Ab speciei unitate.
22. A metaphora.

concor-

concordiã concentumq; dixerit: omnia enim genera propriè de suis formis, non metaphoricè dicuntur. Si generi nihil sit contrarium, species contrariæ in eodem genere in esse debent. Quod si quid contrarium est generi, ut huic subijcitur species, ita & contraria species sub contrario genere continetur. Sunt itaq; contraria perpetuò uel in eodem genere subiecta, uel sub contrarijs generibus, uel sunt ipsa genera cõtraria. Cæterùm si tum generi, tum speciei contrarium occurrat magna parte, ut inter contraria genera mediũ se gerit, si quod inter sit, ita & inter cõtrarias species obseruari debet, in ijs igitur contrarijs conferendis, si quid secus accidat circa propositum genus, locus erit ad refellendum accommodatus. Illud autem non est perpetuum, sed magna ex parte uerum, quòd si genus alicui sit aduersum, speciem etiam alicui fore contrariam, ut uniuersa ualetudo morbo contraria est, febri uerò, quæ quidem illius species est, nulla sanitas aduersatur. At uerò & ei qui infirmabit, & ei qui confirmabit à casibus, & coniugatis uidendum erit, an eodem modo sint consequentia, quæ proponuntur: nam si semel in uno, etiam in reliquis, quæ sibi nomenclatura consociantur. Hoc modo, quod iucundũ est eandem habet rationem ad uoluptatem, quàm id quod utile est ad bonum: si quidẽ utrumq; utriusq; efficiens est. Ita fit ut si uoluptas sit in bonis, etiam id quod iucundum est, sit in ijs, quæ utilia sunt. Hoc etiam modo locus ab origine, & ortu, interituq; ducitur: ut si ædificare sit agere, ædificasse etiam erit egisse, nec non ædificatio est actio: eadem est ratio eorum, quæ uim habent ad gignendum & interimendum. Itemq; uis & usus, omninoq; in quibusuis id generis, & is qui refellet argumentationẽ, & qui confirmabit eodem modo perspicere debet, quomodo in loco ab ortu & interitu exposuimus. Quòd si priuatio erit id quod speciei cõtrarium est, dupliciter licebit refellere, primo quidẽ si generi, quod propositum est occurrat priuatio: aut enim in nullo omnino genere eodem aut certè non in extremo priuatio est: ut si aspectus in extremo genere sensu insit, cùm sensus priuationem habeat oppositam, sanè cæcitas non sub sensu, sed sub sensus priuatione tanquam species sub genere continetur. Deinde ad infirmandum, si generi & speciei contraria sit priuatio, neque contrarium sit in contrario, nec igitur propositum est in proposito. Qui autem confirmabit hoc modo nitetur: si contrarium in cõtrario,

23. A contrario.

24. A casibus & coniugatis.

25. Ab analogia.

26. Ab ortu & interitu.

27. A priuantibus.

rio, etiam propositum genus in proposita specie reperiatur necesse est: ut si cæcitas quædam sensus uacuitas sit, etiam aspectus sensus sit necesse est. Ab aientibus autem & negantibus commutato ordine, quemadmodum in accidentis problemate discernẽdo. 2 lib. expositum est, argumenta ducenda sunt hoc modo: si quod iucundum est, bonum est, quod est non bonum, id non iucundum est. Rursus, si species in eorum habeatur numero, quæ cum aliquo conferuntur, etiam genus habeatur necesse est: quòd si hac parte nõ conueniat genus oblatum subuertendum est, sunt enim genus & species, ut superius admonuimus, ad rectam seriem pertinentia semper eiusdem ordinis. Sed incurres, scientia est relatum Grãmatica qualitas, pariter uirtus ad relationem pertinet, honestũ ad qualitatem, non igitur uerò consona doctrina est. Respondeo, scientiam quidem uerbo tenus non suapte natura in ijs numerari, quæ cum altero conferuntur: atque par est ratio uirtutis: harum uerò utraq; recta linea sub primò genere qualitatis ab Arist. constituitur: nec in Categoria collatorum eaq; uerbo tenus duntaxat talia sunt ueniunt collocanda. Quo fit ut hic & in Categoria relationum Arist. oppositum sub persona Platonis doceat, quòd suo tempore omnibus esset in ore scientiam & uirtutẽ esse ad aliquid, & in Categoria relationis esse reposita. Prætereà uidendum est an species non ad idem referatur per se & generis ratione, nam cum quouis species cõferatur, cum eodem & genus & eius genera: ut si duplum subdupli duplum, idem eiusdem erit multiplex. Hoc autem in relatis uerbo tenus dictis aliter euenit, nunquam autem in ijs quæ suapte natura cum altero conferuntur. Illud etiam, an genus & species ijsdem casibus explicentur: nam simili casu conferenda sunt, occurrit ut tamen interdum non ita rem habere, propterea quòd cõtrarium alicui dicitur, diuersum uerò non alicui, sed ab aliquo, cùm interim diuersum contrarij sit genus. Rursus illud uidendum est, an ea quæ cum aliquo conferuntur ad inuicem sub eodem casu reciprocentur, an si sub alio casu, refutandum erit genus. Illud etiam uidendum est nam in hoc ipso genere quod tractamus, genus & species paribus casibus explicentur: quoniam ijsdem paribusq; casibus utrumq; dici debet: quãquàm nonnulla sunt in hoc genere, quæ paribus casibus non efferantur: ut τὸ μὲν γὰρ διπλάσιον τινὸς διπλάσιον, τὸ δὲ ὑπερέχον καὶ τὸ μεῖζον τινὸς καὶ τινί. id est, duplum Græcè, cum

Margin notes: 28 A contradicẽtibus. — 28. A b ijs quæ cũ aliquo conferuntur. — Obiectio. — Dilutio. — 30. Ab eiusdem collatione. — 31. à casuũ similitudine. — 32. à casuũ reciprocatione. — 33. A pari casuum numero.

eum gignente casu solùm confertur: At excedens & maius apud Graecos, tum alicuius, tum alicui dicitur. Quo fit ut maius, & excedens non sint genera dupli: aut certè non omnino uerum est speciem & genus paribus casibus efferri. Atq; etiam illud uidendum, ut contrarij contrariũ genus sit, ueluti dupli multiplum, & subdupli submultiplum: quod si secus in proposito genere accideret, refutandum esset quod pro genere datũ est. Rursum, quoniam eorum, quae cum altero conferuntur tria sunt genera: quaedam enim necesse est in ijs ita esse quibus cum conferuntur, ut affectio: quaedam non est necesse in ijs esse, atq; spectant (ut si animus est qui scientia contineatur, nihil prohibit animum sui continere scientiam, & tamen non est necesse cùm scientia alterius scibilis, & non animi esse poßit.) Tertia est relatorum differẽtia, quorum, inquam, ut unum in altero insit, fieri nullo modo potest: cuius ordinis contraria sunt, quorum nullum in altero esse potest. Si quis igitur aßignarit quod est sub una trium harum differentiarum alterius, quod sub alia dictarum contineatur genus, locus erit ad infirmandum idoneus: ut si quis memoriam immansionem scientiae dixerit, memoriã faciens speciem, immansionẽ uerò genus reijciendũ est huiusmodi genus. Memoria enim nunquã est in relato cuius memoria esse dicitur, sed in animo: at immansio in scientia, ad quam refertur, sita est, quandoquidem est scientiae retentio, hoc autẽ fieri non potest. Illud etiam intelligendum est, si quis habitum actionis genus fecerit, uel uice uersa genus aßignauerit ipsius habitus actionẽ: nam quouis modo refutandum est genus: nam ut se gerit actus ad actum, ita se gerit & habitus ad habitum, necnon potentia ad potentiam: ut enim sensio genus est uisionis, ita & sensitiuum genus est ipsius uisiui. Errant etiam ij, qui habitum statuunt esse uim, quae consequens est ex habitu, ut clementiam irae continentiam & fortitudinem, metus iustitiam lucri cõtinentiam: nec enim continentia harũ genus est, sed euentus & consequẽs. Interdum autem quod ex re qualibet consequens est, id pro genere dicũt: ut dolorem irae genus, & fidei opinionem. Cum in eodem subiecto, in quo species, in eodem genus insit: ut in corpore candor existit, ergo in eodem color inest pariter, si Grammatica est in anima, efficitur continuò, ut in eadem scientia reperiatur. Si quis igitur metum uerecundiae genus aßignarit, explodendus est: est enim uerecundia in ea parte animi sita, quae

34. A relatione oppositi.

35. A relatorũ diuisione.

36. Ab habitu seu actione.

37. Ab habitus consequente.

38. A consequente.

39. A subiecto.

rationis est particeps, metus autẽ in ea quæ sensus est expers, quæq; ira-
40. Ab specie genus nõ omnino participante. scibilis appellatur. Illud etiam, an quadam ex parte cũ specie genus, quod datum est cõmunicetur: nõ enim quadam ex parte genus communicatur, quippe cùm homo non sit quadam ex parte animal, nec Grãmatica aliqua ex parte scientia: species enim tota natura & essentia generis participat. Si quis igitur aspectabile genus animalis cõstituat, repellendus est hoc nomine, quòd animal non omnino sit aspectabile, sed solùm superficie tenus. Est huic affine illud monitum, si pars aßignetur pro genere, ut statim tollamus propositum genus: ueluti si quis corpus animalis genus asse-
41. Ab eligendo. reret, nam corpus pars est animalis essentialis. Atq; illud etiam spectãdum est, num quid eorum quæ uituperanda & fugienda sunt, sub horum ipsorum ui, seu facultate, seu si mauis potentia tanquam sub genere collocet: est enim potentia malorum eligenda, ipsa uerò mala uituperanda: non igitur hæc illorum genus esse ualet. Hoc uitio laborant, qui furẽ definiunt eum, qui potest clàm aliena furari: aut calumniatorem, qui potest
42. A per se honorabili. calumniari. Itemq; illud uidendum, an aliquid eorum quæ propter se, & per se honorabilia sunt, speciem subijciat eius ui, seu facultati: omnis enim facultas propter aliud expetenda est, non propter se: quo circa hæc eius quod per se sit expetendum genus esse nequeat. Illud etiam aduertendum,
43. A generum connexa participatione. an aliquid eorum, quæ duplex habent genus, aut plura ad alterum retulerit: sunt enim quædam huiusmodi, ut impostor & calumniator non est habẽdus is qui uult, nec potest: neq; is qui potest, nec uult: sed is demum in quo utrumq; horum inest. Iam uerò cõtrà interdum genus pro differen-
44. A differentia. tia, & differentiam pro genere dicunt: ut si quis definiat stuporem, magnitudinem admirationis esse dicens, facit enim magnitudinem ex diffe-
45. Ab affectione. rentia genus. Errant etiam interdum ij, qui affectionem eius faciunt speciem cuius est affectio: quales sunt ij, qui immortalitatem uitam supernam esse definiunt. Illud etiam uidendum est, id'ne pro genere, aut differentia
46. Ab omnium cõsequẽte: uulgo, à transcendente. dixerit, quod ex rebus omnibus consequens est: ut, ens, uel unum, quorum utrumq; cùm homonymum sit, saltem analogon, neq; genus neq; differentia esse potest. Iam si in subiecta specie genus id, quod datũ est, ut id quod albũ est in niue insit, perspicuũ est id niuis non esse genus. Dico autem in subiecta specie tanquam album in niue, id est, tanquam accidens in subie-
47. A subiecto. cto: est enim species subiectum de quo dicitur genus tanquam de subiecto

non

non autem in quo sit tanquam in re subiecta. Atq; illud etiam uidendum est, an genus & species sint synonyma, alioqui minimè probandũ erit genus. Illud etiam uidendum est, idem'ne aliquid, quod ad duorum utrumq; eodem modo affectum sit ad deterius genus, non ad præstantius, tanquam speciem retulerit: ut si animum motum, uel id quod mouetur dixerit. Nam quoniam idem animus æquè uim habet quiescendi ac mouendi: profectò si status & quies motu, ut reuera euenit, melior est, in eo genere animus statuendus erat. Iam ex maiore & minore elicere argumenta licet ei, qui refellit, si genus accessionem, seu intensionem capiat, & species nõ capiat, uel contrà reijciendum est genus. Præterea, quòd si id quod uidetur esse magis genus non sit, uerisimile est quòd id quod minus uidetur minimè sit genus: ut contrà fit aiendo, si quod minus uidetur esse genus, sanè genus est, planè quod magis uidetur esse genus, hoc uerisimilius uendicare sibi uidetur. Quòd si duorum utrumq; unius tertij uideatur esse genus, uel species, & ad confirmandum & ad refellendum aiendo totum negando, fieri potest argumentatio. Illud etiam ad confirmandum maximi est momenti, ostendere genus de specie simpliciter dici in quæstione naturæ, id est, in quæstione qua quærimus de specie quid sit, quòd si ostensum fuerit & postmodum de alia, uel alijs formis idem genus in eadẽ quæstione dici, reliquum est ut concludamus genus approbandum. At uerò quoniam in quæstione naturæ dici homonymon est, interdum enim significat dici de altero in quæstione qua quærimus quid sit, quo modo solùm generi et speciei aßignatur, interdum ut quæstio naturæ idem sonet atq; quæstionem essentiæ, quo sensu differentia dicitur in quæstione naturæ: secernendum est genus à differentia præsertim his locis, quorũ primus est. Genus plura quàm differentiam continere. Alter, genus in respondendo quid quidq; sit aptiùs dici posse, quàm differentia. Tertius est, differẽtiam generis qualitatem declarare semper, genus differẽtiæ qualitatem, nõ item. Ac differentia quidem à genere hoc pacto separanda est. In paronymis, si uerba faciamus, in ijs in quibus attributa per se subiectis tribuantur, non autem ex accidenti, sanè ut paronymon de paronymo, ita & forma de forma dicetur. In reliquis uerò longè aliter se res habet, fit enim argumentum uerisimile, non tamen efficitur aliquid necessariò: ut musicus est probus, ergo musica est probitas. Postremò quoniam quod alicui cõsequens

48. A synonymis.
49. Ab eo quod inaduersum genus traductum est.
50. A maiori & minori.
51. A paribus.
52. A latius patente.
53. à quæst. quid est.
54. à quæstione qua quale quid petimus.
55. A paronymis.
56. A consequẽtibus.

sequens est semper, nec uicißim retrò commeat, uerisimilius est quod alterius consequens est esse genus, si cætera utrobiq; paria cernantur. Occurrit in hunc locum ens, unum, & quoduis illorum, quæ omnes res consequuntur: est autẽ locus hic imbecillimus, & meo quidem iudicio, Arist. indignus, quem facilè putarem ab aliquo maleuolè adiectum. Ac in genere quidem probando, uel improbando, methodum quam ijs uerbis Arist. præscripsit tenere ac imitari debemus.

Aristotelis Dialectica loca, quibus elegantes finitiones, à minus præstantibus ueniunt secernẽdæ.

Ac primus quidem locus ad probandum definitionem esse obscuram erit, cùm aliquod uerbum, quod in definitione continetur, ambiguũ erit. Parit enim homonymia semper obscuritatem. Proximus locus est, quãdo per translationem definitio explicatur: ut si quis terram definiens, altricem: aut temperantiam, concentum esse dicat. Cæterùm translatio nõ solùm obscuritatis ratione, uerùm etiam hoc nomine, quòd non proprio per eam utamur uerbo, sed analogico, à definitionis munere secludenda est. Deinceps locus sequitur quãdo aliquis in definiendo uerbis inusitatis utitur: id quod Plato fecit, qui oculum, ὀφρυόσκιον, id est, cilij umbram definiuit, & araneam σηψιδακὴς, id est, ut ita dicam, putri mordacem. Est autem translatione obscurius inusitatũ uerbum: translatio enim illustrat declaratq; orationem, si cum inusitato uerbo conferatur. Est autem improbanda definitio unius contrarij, quando ea, natura & essentia non elucescit alterius contrarij. Atqui quando finitio per se prolata nulliq; collata, non perspicuum facit cuius sit definitio etiam est abnuenda: nam quæ proba est statim finitum ob oculos ponit. Suntq; ij quinq; loci conferentes ad persuadendam finitionis obscuritatem. Iam ad redundantiam quinq; proximè sequentes spectant. Atqui quod rebus omnibus conuenit omnino, aut uniuersis, quæ subiectæ sunt generi eidem rerum, quæ diffiniuntur, redundantem faciet finitionem: si quidem post genus præfixum quicquid in finitione adhibetur: ut generis communionem contrahat in pauciora se fundere debet, quàm genus. Atq; ita super-

1. lo. ab ambiguo.
2. A metaphora.
3. Ab inusitato.
4. A contrarij finitione.
5. A finiti ignotione.
6. A promiscuo nomine.

trarijs, ab ijs quæ cum altero conferuntur, & etiam seclusa priuatione, quæ non potest definiri, nisi per habitum. Alter locus nobis argumenta suppeditabit, quando in definitione aliquid adhibetur, quod idem ualet, quod res, quæ definitur: ut si solem, astrum die perspicuum, definiant: dies enim est tempus, quo sol fertur super terram: finiendo igitur solem per diem, idem per idem explicare niteris: neq; enim dies neglecto sole percipi potest. Eidem fit errori obnoxius, qui differentiam unius generis diuidentem per alteram sibi è regione positam definierit: ut si quis imparē numerum finiat, qui parem unitate uincit: sunt enim simul ordine naturæ, ea in quæ simul distribuitur genus. Idem uitium committitur, si superiora inferioribus definiendo aperiantur: finit enim quod prius est natura per posterius: ut si par numerus definiatur esse, qui bifariam diuiditur: nam & bifariam à duobus ductum est, binarius autem posterior est, natura pari. Proximus locus est, quando genus desideratur in finitione: genus enim quid sit res declarat, & primum eorum, que in definitione dicuntur, est collocandū: ut si quis corpus definiat, id quod habet tres dimensiones, reprehendendus est. Idem fiet, si aliquid præter genus desideretur: ut si quis Grammaticam definiat, artem scribendi id quod dictatur & profertur: deest enim, & legendi. Hic autem est obseruandū, medicinam rectè finiri, scientiam salubrium, etiam etsi non addamus insalubrium, quia per se refertur ad sanitatem, per accidens ad ægritudinem. Atq; ita fieri debet iudicium in similibus. Quòd si aliquid huiusmodi finiatur, quod ad duo referri poßit: quorum alterum præstantius est, alterum deterius, si neglecto præstantiori, res quæ finitur ad id quod est deterius accommodetur, magis adhuc erit in uitio: omnis enim ars, uisq; omnis gratia boni est, siue sit à natura nobis insita, siue humano ingenio comparata. Illud etiam obseruandum est, an res finiendo collocata sit in proximo genere: nam semper uel proximum genus in definitione usurpādum est, aut interiectæ differentiæ, quæ inter superius genus & propositam speciem intercidāt, nulla intermissa sunt adhibendæ. Itaq; percontāti, quid sit homo, respondendum est, animal rationis compos, uel dices esse substantiam corpoream, uitæ, sensus, & rationis participem. Rursus in differentijs eodem modo uidendum est, an generis differentias definiendo explicarit: nam si finitio proprijs, & ei accommodatis non utatur, eius

[Margin notes:]
13. Ab eodem.
14. ab eiusdē diuiosinis repugnante differentia.
15. Ab inferiori.
16. A desiderato genere.
17. A mutila finitione
18. A proximo genere.
19. A differentijs.

quod finitur differentijs, semouenda est, ut liquet. Illud etiam considerandum est, an in abnegationē genus sit distributum, quod ij faciūt, qui lineā definiunt, longitudinem esse latitudine carentem: nam omnis finitio, quæ aßignatur per abnegationem, est reprehensioni obnoxia: quippe cùm finitionis munus est exprimere quid res, quæ finitur, suapte natura sit, non autem quid non sit. Illud etiam uidendum est, speciémne definiendo pro differentia dixerit, quod faciunt ij, qui conuicium, contumeliam cum irrisione definiunt: nam cùm irrisio non differentia, sed species sit contumeliæ, non rectè adhibetur pro differentia. Iam illud etiam, an genus pro differentia definiendo posuerit: ut si quis uirtutem, habitum bonum definiat, est enim bonum uirtutis genus. Quamquam Aristo. in textu ad hoc utitur correctione, docens bonum differentiā esse, non genus: sed fortaßis hoc dixit ex aliquorum sententia, qui quidem persuasi essent, bonum esse uirtutis genus, quiq; ita bonum definirent, ut dudum diximus. Videndum etiam est, an quid, non quale quid, quæ data est differentia declaret: quoniam qualitatem omnis differentia declarat. Atq; etiam, an rei, quæ definiatur differentia conueniat, tanquam accidens: nam differentia unum est essentialium attributorum. Iam si de genere dicatur differentia, aut species, aut aliquid eorum, quæ speciei subiecta sunt, nulla definitio est: nihil enim eorum quæ numerata sunt in finitione de genere dici potest, quādoquidem latiùs patet genus, quàm hæc. Idem autē fiet, si de differētia in finitione genus dicatur: neq; enim recta genus attributione de differentia dicitur. Similiterq; considerandum est, an species, uel aliquid eorum, quæ contenta sunt sub specie, de differentia dicatur (differentia intelligo complente) quod fieri non potest, quandoquidem perficiens differentia rectè attribuitur speciei, hæc illi non rectè, sed inuerso ordine aßignatur. Illud etiam uidendum est, an species non sit prior differentia, ut enim essentialis forma prius est natura, quàm totum, ita differentia speciem ordine naturæ antecedit. Illud etiam, an alterius generis sit differētia ea, quæ producta est, quòd quidem nec contineatur, nec contineat. Diuersorum enim generum, quorum neutrum sub altero continetur, nec eadem esse potest differentia (dico diuidens) nec eadem species. Videndū etiam, an id quod alicubi quid esse significat, pro differentia posuerit, neq; enim inter substantiam & substantiam hoc interest, quòd alicubi sit.

Itaq;

20. A negatione.

21. A specie.

22. A genere.

23. A quæstione qua quærimus de re quid sit.

24. Ab accidente.

25. Ab attributione differentiæ uel speciei.

26. Ab speciei attributione.

27. A posteriori natura differentia.

28. A diuerso genere.

29. A differentia loci.

Itaq; eos, qui animal in terrenum & aquatile partiuntur, reprehẽdunt, propterea quod terrenum & aquatile in aliquo esse declarant, etsi hoc sub dubio relinquat Aristot. Sed tamen hoc est perspicuum, differentiam rei perficientem nunquam ab aliqua loci differentia duci. Prætereà uidendum est, an affectionem in differẽtia numerarit: omnis enim affectio uehementer adaucta à naturali statu naturã dimouere uidetur. Ex quo genere non est differentia: huius enim munus est rem constituere, perficere, conseruare, non à naturali ordine dimouere. Iam si quis definiendo aliquid eorum quæ cum aliquo conferũtur, non constituerit differentiã quæ ad aliud aliquid refertur, errabit. Eorum enim, quæ ad aliquid sunt & differentias oportet ad aliquid quippiam referri, quod in arte perspici potest: cuius differentiæ sunt, ut una sit cognitionis, altera actionis, tertia affectionis. Illud etiam considerandum est, an in ijs, quæ sunt ad aliquid finitio aßignetur, referens etiam ad id, ad quod eorum quodq; aptum est suapte natura conferri: nan si referatur ad id, cui ex accidenti comparatur, uitium deprehenditur in finitione: ut si quis prudentiam definiat, hominis aut animi uirtutem, non eius partis animi, quæ rationis est particeps: quando prudentia quà uirtus eo ipso modo quo ad aliud refertur (dico uerbo tenus) primùm & per se uirtus est, eius partis animi, quæ ratione utitur: hominis uerò & animi uirtus dicitur per accidens, utpote ratione mentis. Prætereà si non est hoc rei, quæ definitur, subiectum, cuius finitio sonat habitum esse uel affectionem, uitiose definiuit: omnis enim affectio, omnisq; dispositio, uel habitus ad id referendum in quo est, tanquam accidens in subiecto: quemadmodum ars in intellectu practico, cuius habitus est, uel dispositio sita est. Vt si quis dolorẽ, discordiam partium natura cohærentium uehementiori motu excitatam, definierit, reprehẽdendus est. Dolerent enim res inanimæ, siquidem dolor nõ sensus affectio, sed partium quarũlibet adinuicem continuatarum. Iam omnium temporum habenda ratio est, sicubi discrepent: ut si quis immortale animal, quod nunc non interit, definiat. Finitio enim perpetuò conuenire finito debet, non solùm aliquo tempore definito. Atq; etiã illud uidendum est, id'ne quod definitum sit alia oratione, ac ea quæ allata est, aptius explicetur: ut si iustitia definitur, potestas suum cuiq; tribuendi:

30. Ab affectione.

31. Ab eius quod cum aliquo confertur differentia.

32. A subiecto.

33. A tempore.

34. Ab aptiori explicatione.

iustus est enim potius qui suum cuiq; uult tribuere, quàm qui id potest.
35. Ab acceßione seu intentione. Illud etiam uitiosum est definiendi genus, cùm res acceßionem recipit, id autem quod oratione explicatur, non recipit, aut contrà. Semper enim utrumq;, aut neutrum capere debet.
36. Ab acceßiõis dißimilitudine. Vitiosum etiam illud genus est, cùm utrumq; acceßionem quidem recipit, sed non simul: ut si amor, cupiditas concumbendi, definiatur: cùm enim is qui uehementius amat non magis concubitum appetat, fit ut nõ recipiat similiter utrumq; acceßionẽ, quod quidem deberent, siquidem idem ualerent.
37. Ab aduerbijs magis & minus. Quod idem fiet, si propositis duobus de quo magis finitum dicitur, de eo dicatur minus definitio. Nam finitio & finitum æquè de quauis re sibi subiecta dicũtur, nõ magis unũ, alterum uerò minus. Vitiosum etiam est definiendi genus, eandem ob causam, si duobus propositis finitio, uel finitum utriq; æquè conuenit, alterũ non æquè, sed alteri magis. Par enim in quibusuis cernantur finitio & finitum de re subiecta fieri debet attributio.
38. A quasi geminata finitione. Item cùm duo sunt atq; res quæ definitur accommodari potest, si utrumq; ad definiendum sic accepe rit, ut quasi ponat duas definitiones: uitandum est istiusmodi error: consequuntur enim duo disparata, ut si pulchrum definiatur id esse, quod uel oculos, uel aures demulceat: consequetur enim idem & pulchrum esse & non pulchrum, quod est absurdum.
39. A parte finitionis discrepante. Iam uerò si orationes pro nominibus sumamus, & generum, & differentiarum, & eorum omnium, quæ definitio complectatur, an aliquid eorum discrepet uidendum est.
40. A legitima eius quod cũ altero confertur comparatione. Quòd si res quæ definitur in ijs sit, quæ cum altero conferuntur, uel per se uel ratione generis, considerandum erit an in definitione expresum nõ sit, id cum quo uel ipsa per se, uel generis communione cõferatur: ut si quis scientiã opinionem immutabilem definiat, uel uoluntatem cupiditatem dicat ab ægritudine uacuam: nec scientiam refert ad scibile, nec uoluntatem ad appetibile. Est igitur improbanda definitio.
41. A fine. Illud etiam uidendum est, an alicuius eorum, quæ cum altero conferuntur, non ad finem directa sit definitio. Finis autem unicuiq; est quod optimum est, aut quò cætera omnia referuntur. In ijs enim, quorum relatio ad proprium finẽ destinatur peccat finiendo, qui non exprimit huiusmodi finem: ut cupiditatem non rei quæ uoluptatem affert, sed ipsius uoluptatis finitione declarandum est: quippe cùm eius gratia etiã id quod eam efficit, expetamus.
42. A decenti explicatione. Item in quibusdam nisi plana fiat, & ut decet, explicatio, uitiosa erit definitio: ut si

ambitiosum

ambitiosum quis definiat eum esse, qui gloriæ sit appetens: nam quoniam omnes gloria ducūtur, qua ratione, ut aliquis fiat ambitiosus, id eueniat, clarius explicandum fuisset. In definitionibus autem eius generis fit nescio quomodo, ut is qui rem definiendo aperit, plura uno definiat, qui enim scientiam definit quodammodo etiam definit ignorationem: itemq; quod doctum & indoctū est scire & ignorare. Quapropter in ijs si quid discrepet ex ijs locis, quos in contrarijs & coniugatis exposuimus, argumenta ducemus. Atq; in relatis uel descendendo usq; ad indiuiduorū relationem, ut si res multiplex ad submultiplicem refertur, etiam quædam multiplex ad quandam & certam submultiplicem referetur: si enim non ita explicata res est quadret, profectò refelletur definitio. 43. *A coniugatis, & contrarijs, nec non relatis.*

Atqui oppositorum oppositæ sunt finitiones, quo fit, ut obseruandum sit an contrarij explicata expositaq; sit definitio contraria: ut sitne subdupli definitio contraria dupli definitioni, alioqui nulla est definitio. In priuantibus uerò habitus per priuationem finiri non potest: idē enim finiretur per idem: at uerò priuatio per habitum definitur necessariò. Perspicienda igitur hæc sunt, ut si quid dissentiat, statim refellatur. 44. *Ab oppositi definitione.* *Iam illud uidendum est, an similibus nominis casibus similes definitionis casus respondeant: ut si id prodest quod efficiens est ualetudinis, utiliter accōmodatè ad ualetudinem efficiendam dicetur, quod utiliter fit ad eandem præstandam, & etiam id quod profuit, ualetudinem effecit.* 45. *A casibus.* *Expectādum est etiam ex idea, sit'ne uera & propria quæ data est definitio: quandoquidem in quibusdam non reperiri cernitur, quemadmodum Plato definit, adiungens animantium definitionibus, mortale. Si enim idea est, certè non est mortalis. Deseruiet autem locus hic aduersus Platonicos.* 46. *Ab idea.* *Vitiosum etiam genus definiendi est, si omnium eorum quæ ambiguè dicantur, communis una definitio statuatur. Quod uitiosum in uitæ definitione reperitur, quam Dionysius tradidit: Est, inquit, motus uniuerso eorum quæ gignuntur generi natura insitus. Est enim uita homonymon ad uitam supernam, id est, immortalem, & ad uitā hāc, qua plantæ, animaliaq; apud nos uiuunt. Obseruandum est igitur hic, an in finiendo aliquis ex homonymo synonymon, uel ex synonymo homonymon faciat.* 47. *Ab homonymi definitione.* *Rursus, si quis quid eorum quæ multis modis dicuntur, definiat: neq; in ea omnia, quæ uerbum ambiguum complectitur, definitio conueniat, est enim reijcienda.* 48. *Ab eo quod multifariam dicitur seu analogicè.*

Si autẽ alicuius eorum uerborum, quæ cõiuncta sunt, definitio statuatur, detracta alterius eorum, quæ copulata sunt oratione, an reliqua ei, quod reliquum est conueniat, uidendum est: si enim secus, profectò nec tota quidem toti conueniet: ut si quis lineam finitam definiat, extremitatem plani habentem fines, si lineæ plani extremitas finitio est, & habere extrema finiti definitio esse debet: uel cõtrà, si hæc huius nõ est finitio, nec illa illius, nec tota totius. Vitiosum etiã definiendi genus est, cùm id quod definitur copulatum est, eiq; attribuitur definitio eiusmodi, quæ pari nominum & uerborum numero correspondeat, sic enim simplicia uerba nunquã definiet is, qui uerbum tantùm pro uerbo reddit: ut si pro ueste, tunicam: Interpretatio hæc enim est, non definitio. Atq; etiam in cõmutandis uerbis illud uidendũ est, an explicatio idẽ significet, atq; res explicata: ut si quis artem, quæ rem animo contemplatur, definiat opinionem. Nan artem explicans opinione, non idem significat. Si uerò differentiæ definitionẽ explanarit: an ad aliquid aliud definitio trãsferatur, uidendum est: ut si numerum imparem dicat numerum, qui medium aliquid habet, numerũ numero tribuit: aßignat autem mediũ aliquid habere impari. At uerò medium habere non est proprium imparis, sed commune cum linea superficie & corpore. Quo fit ut non propria sit huiusmodi explicatio. Inepta igitur est imparis definitio. Prætereà uitiosa etiam erit, si id cuius definitio statuitur, in ijs quæ sunt numeretur: quod autem definitioni subijcitur, non numeretur: ut si quis, exempli gratia, rem albam esse dicat colorem cum igne permixtum. Neq; enim quod expers est corporis permisceri potest cum corpore. Prætereà is qui non per se, uerùm per accidens rẽ explicat, reprehendendus: nam talis definitio propria rei quæ explicata est, & data, esse non potest. Rursus, uitiosa erit definitio, si id quod per se expetendũ est, ut ad agendum, faciendúmue impellens, propter aliud expetendum explicetur: ut si iustitia legum custos, uel sapientia beatæ uitæ effectrix definiatur, efficientia enim & conseruantia in rebus numerãtur, quæ propter aliud expetuntur. Atq; etiam illud considerandum est, is ne, qui aliquid definit hoc & illud esse, an ex hoc & illo esse, an hoc cũ illo esse definiat: ut si iustitiã dicat, temperantiã esse & fortitudinẽ, hoc sensu, ut hæc neq; temperantia sit, neq; fortitudo, sed coniunctim utraq;. Obseruandum est quo nam horum sensu utatur, ut & ad corroborandum, & ad

50. A dictionũ pari numero.

51. A dissonante uerbi explanatione.

52. Ab eo quod non est.

53. A finitione per accidẽs assignata.

54. A per se uel per accidẽs expetendo.

55. A coniunctim dictis.

& ad infirmandum locus accõmodetur. Est autem uarius huius præcepti usus, qui uix in præceptum redigi potest, sed ut res moneat capiendũ est consilium. Vitiosum etiam est rationem concretionis non exponere, non enim satis est ad aperiendum declarandumq; aliquod totum, id ex ijs, uel illis cõstare dicere: sed hoc uel illo modo ex ijs, uel illis effici. Id quod animaduerti licet in domo, qua igitur ratione constet ex illis explicandũ est, & quò minus id fiat, eò magis reprehensione digna est definitio. Quod si hac reddenda ratione una pars dicatur esse cum altera consulere debemus diuisionem eorum, in quibus unum est cum alio, & quo illorum modorũ dixerit aduersarius hoc esse cum illo, & pro uaria eius explicatione, uario ingenio utendum est cum iudicio atq; delectu. Est autem hoc in illo, ut iustitia est cùm animo, uel cùm in eodem loco utrumq;, uel quia in eodem tempore, & alijs plerisq; modis: quorũ singuli singula consilia postulant. Præterea si pari ratione alicui conuenire natura solent contraria, & altero rem definiendo aperuerit aliquis, certè non proba erit definitio: sin secus plures eiusdem rei definitiones erunt: ex quo genere est illa animi definitio, natura capax scientiæ. Pari etiam ratione definiret, dicens quòd sit ignorationis capax, quò fieret gemina animæ definitio. Quod si cui ad totam definitionem euertendam nullum suppetat argumentum, is ad partem aliquam omnem argumentationem dirigere debebit: euersa enim parte, & tota euertetur definitio. Ac de definitionum quidem locis hactenus.

56. A concretionis ratione.

57. A pari ratione cõtrariorũ.

58. A parte finitionis.

De Sophistarum autem reprehensionibus, & de ijs, quæ speciem habent reprehensionum: reuera tamen fallaces, ac vitiosæ conclusiones sunt, nunc dicendum.

Est autem reprehensio, ratiocinatio, per quam non modò conclusio, sed eius etiam disparatum conficitur.

rationis est particeps, metus autẽ in ea quæ sensus est expers, quæq; irascibilis appellatur. Illud etiam, an quadam ex parte cũ specie genus, quod datum est cõmunicetur: nõ enim quadam ex parte genus communicatur, quippe cùm homo non sit quadam ex parte animal, nec Grãmatica aliqua ex parte scientia: species enim tota natura & essentia generis participat. Si quis igitur aspectabile genus animalis cõstituat, repellendus est hoc nomine, quòd animal non omnino sit aspectabile, sed solùm superficie tenus. Est huic affine illud monitum, si pars aßignetur pro genere, ut statim tollamus propositum genus: ueluti si quis corpus animalis genus assereret, nam corpus pars est animalis essentialis. Atq; illud etiam spectãdum est, num quid eorum quæ uituperanda & fugienda sunt, sub horum ipsorum ui, seu facultate, seu si mauis potentia tanquam sub genere collocet: est enim potentia malorum eligenda, ipsa uerò mala uituperanda: non igitur hæc illorum genus esse ualet. Hoc uitio laborant, qui furẽ definiunt eum, qui potest clàm aliena furari: aut calumniatorem, qui potest calumniari. Itemq; illud uidendum, an aliquid eorum quæ propter se, & per se honorabilia sunt, speciem subijciat eius ui, seu facultati: omnis enim facultas propter aliud expetenda est, non propter se: quo circa hæc eius quod per se sit expetendum genus esse nequeat. Illud etiam aduertendum, an aliquid eorum, quæ duplex habent genus, aut plura ad alterum retulerit: sunt enim quædam huiusmodi, ut impostor & calumniator non est habẽdus is qui uult, nec potest: neq; is qui potest, nec uult: sed is demum in quo utrumq; horum inest. Iam uerò cõtrà interdum genus pro differentia, & differentiam pro genere dicunt: ut si quis definiat stuporem, magnitudinem admirationis esse dicens, facit enim magnitudinem ex differentia genus. Errant etiam interdum ij, qui affectionem eius faciunt speciem cuius est affectio: quales sunt ij, qui immortalitatem uitam supernam esse definiunt. Illud etiam uidendum est, id'ne pro genere, aut differentia dixerit, quod ex rebus omnibus consequens est: ut, ens, uel unum, quorum utrumq; cùm homonymum sit, saltem analogon, neq; genus neq; differentia esse potest. Iam si in subiecta specie genus id, quod datũ est, ut id quod albũ est in niue insit, perspicuũ est id niuis non esse genus. Dico autem in subiecta specie tanquam album in niue, id est, tanquam accidens in subiecto: est enim species subiectum de quo dicitur genus tanquam de subiecto non

40. Ab specie genus nõ omnino participante.

41. Ab eligendo.

42. A per se honorabili.

43. A generum connexa participatione.

44. A differentia.

45. Ab affectione.

46. Ab omnium cõsequẽte: uulgò, à transcendente.

47. A subiecto.

non autem in quo sit tanquam in re subiecta. Atq; illud etiam uidendum est, an genus & species sint synonyma, alioqui minimè probandũ erit genus. Illud etiam uidendum est, idem'ne aliquid, quod ad duorum utrumq; eodem modo affectum sit ad deterius genus, non ad præstantius, tanquam speciem retulerit: ut si animum motum, uel id quod mouetur dixerit. Nam quoniam idem animus æquè uim habet quiescendi ac mouendi: profectò si status & quies motu, ut reuera euenit, melior est, in eo genere animus statuendus erat. Iam ex maiore & minore elicere argumenta licet ei, qui refellit, si genus accesionem, seu intensionem capiat, & species nõ capiat, uel contrà reijciendum est genus. Præterea, quòd si id quod uidetur esse magis genus non sit, uerisimile est quòd id quod minus uidetur minimè sit genus: ut contrà fit aiendo, si quod minus uidetur esse genus, sanè genus est, planè quod magis uidetur esse genus, hoc uerisimilius uendicare sibi uidetur. Quòd si duorum utrumq; unius tertij uideatur esse genus, uel species, & ad confirmandum & ad refellendum aiendo totum negando, fieri potest argumentatio. Illud etiam ad confirmandum maximi est momenti, ostendere genus de specie simpliciter dici in quæstione naturæ, id est, in quæstione qua quærimus de specie quid sit, quòd si ostensum fuerit & postmodum de alia, uel alijs formis idem genus in eadẽ quæstione dici, reliquum est ut concludamus genus approbandum. At uerò quoniam in quæstione naturæ dici homonymon est, interdum enim significat dici de altero in quæstione qua quærimus quid sit, quo modo solùm generi et speciei aßignatur, interdum ut quæstio naturæ idem sonet atq; quæstionem essentiæ, quo sensu differentia dicitur in quæstione naturæ: secernendum est genus à differentia præsertim his locis, quorũ primus est. Genus plura quàm differentiam continere. Alter, genus in respondendo quid quidq; sit aptiùs dici posse, quàm differentia. Tertius est, differẽtiam generis qualitatem declarare semper, genus differẽtiæ qualitatem, nõ item. Ac differentia quidem à genere hoc pacto separanda est. In paronymis, si uerba faciamus, in ijs in quibus attributa per se subiectis tribuantur, non autem ex accidenti, sanè ut paronymon de paronymo, ita & forma de forma dicetur. In reliquis uerò longè aliter se res habet, fit enim argumentum uerisimile, non tamen efficitur aliquid necessariò: ut musicus est probus, ergo musica est probitas. Postremò quoniam quod alicui cõ-

48. A synonymis.

49. Ab eo quod inaduersum genus traductum est.

50. A maiori & minori.

51. A paribus.

52. A latius patente.

53. à quæst. quid est.

54. à quæstione qua quale quid petimus.

55. A paronymis.

56. A consequẽtibus.

ſequens eſt ſemper, nec uiciſsim retrò commeat, ueriſimilius eſt quod alterius conſequens eſt eſſe genus, ſi cætera utrobiq; paria cernantur. Occurrit in hunc locum ens, unum, & quoduis illorum, quæ omnes res conſequuntur: eſt autẽ locus hic imbecillimus, & meo quidem iudicio, Ariſt. indignus, quem facilè putarem ab aliquo maleuolè adiectum. Ac in genere quidem probando, uel improbando, methodum quam ijs uerbis Ariſt. præſcripſit tenere ac imitari debemus.

Ariſtotelis Dialectica loca, quibus elegantes finitiones, à minus præſtantibus ueniunt ſecernẽda.

Ab ambiguo 1. locus.
A metaphora 2
Ab inuſitato 3
A contrarij finitione 4
A finiti ignotione 5
A promiſcuo nomine 6
A ſublato 7
A parte finiti 8
Ab eiuſdẽ dictionis repetitione 9
A præter rem adiuncto 10
A prioribus & notioribus 11
Ab oppoſitis 12
Ab eodem 13
Ab eiuſdem diuiſionis repugnante differentia 14
Ab inferiori 15
A deſyderato genere 16
A mutila finitione 17
A proximo genere 18
A differentijs 19
A negatione 20
A ſpecie 21
A genere 22
A quæſtione, qua quærimus de re quid ſit 23
Ab accidente 24
Ab attributione differentiæ, uel ſpeciei 25
Ab ſpeciei attributione 26
A poſteriori natura differẽtia 27
A diuerſo genere 28
A differentia loci 29
Ab affectione 30
Ab eius quod cum aliquo confertur differentia 31
A ſubiecto 32
A tempore 33
Ab aptiori explicatione 34
Ab acceſsione ſeu intentione 35
Ab acceſsionis diſsimilitudine 36
Ab aduerbijs magis & minus 37
A quaſi geminata finitione 38
A parte finitionis diſcrepãte 39
A legitima eius quod cum altero con-

confertur comparatione 49
A fine 41
A decenti explicatione 42
A coniugatis & cõtrarijs nec non relatis 43
Ab oppositi definitione 44
A casibus 45
Ab idea 46
Ab homonymi definitione 47
Ab eo quod multifariam dicitur 48
A coniuncti finitione 49
A dictionum pari numero 50
A dissonante uerbi explicatione 51
Ab eo quod non est 52
A finitione per accidens aßignata 53
A per se uel per accidens expetendo 54
A coniunctim dictis 55
A concretionis ratione 56
A pari ratione contrariorũ 57
A parte finitionis. 58

Ac primus quidem locus ad probandum definitionem esse obscuram erit, cùm aliquod uerbum, quod in definitione continetur, ambiguũ erit. Parit enim homonymia semper obscuritatem. Proximus locus est, quãdo per translationem definitio explicatur: ut si quis terram definiens, altricem: aut temperantiam, concentum esse dicat. Cæterùm translatio nõ solùm obscuritatis ratione, uerùmetiam hoc nomine, quòd non proprio per eam utamur uerbo, sed analogico, à definitionis munere secludenda est. Deinceps locus sequitur quãdo aliquis in definiendo uerbis inusitatis utitur: id quod Plato fecit, qui oculum, ὀφρυόσκιον, id est, cilij umbram definiuit, & araneam σηψιδακὶς, id est, ut ita dicam, putri mordacem. Est autem translatione obscurius inusitatũ uerbum: translatio enim illustrat declaratq; orationem, si cum inusitato uerbo conferatur. Est autem improbanda definitio unius contrarij, quando ea, natura & essentia non elucescit alterius contrarij. Atqui quando finitio per se prolata nulliq; collata, non perspicuum facit cuius sit definitio etiam est abnuenda: nam quæ proba est statim finitum ob oculos ponit. Suntq; ij quinq; loci conferentes ad persuadendam finitionis obscuritatem. Iam ad redundantiam quinq; proximè sequentes spectant. Atqui quod rebus omnibus conuenit omnino, aut uniuersis, quæ subiectæ sunt generi eidem rerum, quæ diffiniuntur, redundantem faciet finitionem: si quidem post genus præfixum quicquid in finitione adhibetur: ut generis communionem contrahat in pauciora se fundere debet, quàm genus. Atq; ita superuacaneum

1. lo. ab ambiguo.
2. A metaphora.
3. Ab inusitato.
4. A contrarij finitione.
5. A finiti ignotione.
6. A promiscuo nomine.

trarijs, ab ijs quæ cum altero conferuntur, & etiam seclusa priuatione, quæ non potest definiri, nisi per habitum. Alter locus nobis argumenta suppeditabit, quando in definitione aliquid adhibetur, quod idem ualet, quod res, quæ definitur: ut si solem, astrum die perspicuum, definiant: dies enim est tempus, quo sol fertur super terram: finiendo igitur solem per diem, idem per idem explicare niteris: neq; enim dies neglecto sole percipi potest. Eidem fit errori obnoxius, qui differentiam unius generis diuidentem per alteram sibi è regione positam definierit: ut si quis imparẽ numerum finiat, qui parem unitate uincit: sunt enim simul ordine naturæ, ea in quæ simul distribuitur genus. Idem uitium committitur, si superiora inferioribus definiendo aperiantur: finit enim quod prius est natura per posterius: ut si par numerus definiatur esse, qui bifariam diuiditur: nam & bifariam à duobus ductum est, binarius autem posterior est, natura pari. Proximus locus est, quando genus desideratur in finitione: genus enim quid sit res declarat, & primum eorum, que in definitione dicuntur, est collocandũ ut si quis corpus definiat, id quod habet tres dimensiones, reprehendendus est. Idem fiet, si aliquid præter genus desideretur: ut si quis Grammaticam definiat, artem scribendi id quod dictatur & profertur: deest enim, & legendi. Hic autem est obseruandũ, medicinam rectè finiri, scientiam salubrium, etiam etsi non addamus insalubrium, quia per se refertur ad sanitatem, per accidens ad ægritudinem. Atq; ita fieri debet iudicium in similibus. Quòd si aliquid huiusmodi finiatur, quod ad duo referri poßit: quorum alterum præstantius est, alterum deterius, si neglecto præstantiori, res quæ finitur ad id quod est deterius accommodetur, magis adhuc erit in uitio: omnis enim ars, uisq; omnis gratia boni est, siue sit à natura nobis insita, siue humano ingenio comparata. Illud etiam obseruandum est, an res finiendo collocata sit in proximo genere: nam semper uel proximum genus in definitione usurpãdum est, aut interiectæ differentiæ, quæ inter superius genus & propositam speciem intercidãt, nulla intermissa sunt adhibendæ. Itaq; percontãti, quid sit homo, respondendum est, animal rationis compos, uel dices esse substantiam corpoream, uitæ, sensus, & rationis participem. Rursus in differentijs eodem modo uidendum est, an generis differentias definiendo explicarit: nam si finitio proprijs, & ei accommodatis non utatur, eius

[Margin notes: 13. Ab eodem. — 14. ab eiusdẽ diuiosinis repugnante differentia. — 15. Ab inferiori. — 16. A desiderato genere. — 17. A mutila finitione — 18. A proximo genere. — 19. A differentijs.]

quod

quod finitur differentijs, semouenda est, ut liquet. Illud etiam considerandum est, an in abnegationē genus sit distributum, quod ij faciūt, qui lineā definiunt, longitudinem esse latitudine carentem: nam omnis finitio, quæ aßignatur per abnegationem, est reprehensioni obnoxia: quippe cùm finitionis munus est exprimere quid res, quæ finitur, suapte natura sit, non autem quid non sit.

20. A negatione.

21. A specie.

Illud etiam uidendum est, speciémne definiendo pro differentia dixerit, quod faciunt ij, qui conuicium, contumeliam cum irrisione definiunt: nam cùm irrisio non differentia, sed species sit contumeliæ, non rectè adhibetur pro differentia.

22. A genere.

Iam illud etiam, an genus pro differentia definiendo posuerit: ut si quis uirtutem, habitum bonum definiat, est enim bonum uirtutis genus. Quamquam Aristo. in textu ad hoc utitur correctione, docens bonum differentiā esse, non genus: sed fortaßis hoc dixit ex aliquorum sententia, qui quidem persuasi essent, bonum esse uirtutis genus, quiq; ita bonum definirent, ut dudum diximus.

23. A quæstione qua quærimus de re quid sit.

Videndum etiam est, an quid, non quale quid, quæ data est differentia declaret: quoniam qualitatem omnis differentia declarat.

24. Ab accidente.

Atq; etiam, an rei, quæ definiatur differentia conueniat, tanquam accidens: nam differentia unum est essentialium attributorum.

25. Ab attributione differentiæ uel speciei.

Iam si de genere dicatur differentia, aut species, aut aliquid eorum, quæ speciei subiecta sunt, nulla definitio est: nihil enim eorum quæ numerata sunt in finitione de genere dici potest, quādoquidem latiùs patet genus, quàm hæc. Idem autē fiet, si de differētia in finitione genus dicatur: neq; enim recta genus attributione de differentia dicitur.

26. Ab speciei attributione.

Similiterq; considerandum est, an species, uel aliquid eorum, quæ contenta sunt sub specie, de differentia dicatur (differentia intelligo complente) quod fieri non potest, quandoquidem perficiens differentia rectè attribuitur speciei, hæc illi non rectè, sed inuerso ordine aßignatur.

27. A posteriori natura differentia.

Illud etiam uidendum est, an species non sit prior differentia, ut enim essentialis forma prius est natura, quàm totum, ita differentia speciem ordine naturæ antecedit.

28. A diuerso genere.

Illud etiam, an alterius generis sit differētia ea, quæ producta est, quòd quidem nec contineatur, nec contineat. Diuersorum enim generum, quorum neutrum sub altero continetur, nec eadem esse potest differentia (dico diuidens) nec eadem species.

29. A differentia loci.

Videndū etiam, an id quod alicubi quid esse significat, pro differentia posuerit, neq; enim inter substantiam & substantiam hoc interest, quòd alicubi sit.

Itaq;

Itaq; eos, qui animal in terrenum & aquatile partiuntur, reprehēdunt, propterea quòd terrenum & aquatile in aliquo esse declarant, etsi hoc sub dubio relinquat Aristot. Sed tamen hoc est perspicuum, differentiam rei perficientem nunquam ab aliqua loci differentia duci. Prætereà uidendum est, an affectionem in differētia numerarit: omnis enim affectio uehementer adaucta à naturali statu naturā dimouere uidetur. Ex quo genere non est differentia: huius enim munus est rem constituere, perficere, conseruare, non à naturali ordine dimouere. Iam si quis definiendo aliquid eorum quæ cum aliquo conferūtur, non constituerit differentiā quæ ad aliud aliquid refertur, errabit. Eorum enim, quæ ad aliquid sunt & differentias oportet ad aliquid quippiam referri, quod in arte perspici potest: cuius differentiæ sunt, ut una sit cognitionis, altera actionis, tertia affectionis. Illud etiam considerandum est, an in ijs, quæ sunt ad aliquid finitio aßignetur, referens etiam ad id, ad quod eorum quodq; aptum est suapte natura conferri: nan si referatur ad id, cui ex accidenti comparatur, uitium deprehenditur in finitione: ut si quis prudentiam definiat, hominis aut animi uirtutem, non eius partis animi, quæ rationis est particeps: quando prudentia quà uirtus eo ipso modo quo ad aliud refertur (dico uerbo tenus) primùm & per se uirtus est, eius partis animi, quæ ratione utitur: hominis uerò & animi uirtus dicitur per accidens, utpote ratione mentis. Prætereà si non est hoc rei, quæ definitur, subiectum, cuius finitio sonat habitum esse uel affectionem, uitiose definiuit: omnis enim affectio, omnisq; dispositio, uel habitus ad id referendum in quo est, tanquam accidens in subiecto: quemadmodum ars in intellectu practico, cuius habitus est, uel dispositio sita est. Vt si quis dolorē, discordiam partium natura cohærentium uehementiori motu excitatam, definierit, reprehēdendus est. Dolerent enim res inanimæ, siquidem dolor nō sensus affectio, sed partium quarūlibet adinuicem continuatarum. Iam omnium temporum habenda ratio est, sicubi discrepent: ut si quis immortale animal, quod nunc non interit, definiat. Finitio enim perpetuò conuenire finito debet, non solùm aliquo tempore definito. Atq; etiā illud uidendum est, id'ne quod definitum sit alia oratione, ac ea quæ allata est, aptius explicetur: ut si iustitia definitur, potestas suum cuiq; tribuendi: Cc iustus

30. Ab affectione.

31. Ab eius quod cum aliquo confertur differentia.

32. A subiecto.

33. A tempore.

34. Ab aptiori explicatione.

iustus est enim potius qui suum cuiq; uult tribuere, quàm qui id potest.
35. Ab accessione seu intentione. Illud etiam uitiosum est definiendi genus, cùm res accessionem recipit, id autem quod oratione explicatur, non recipit, aut contrà. Semper enim utrumq;, aut neutrum capere debet. Vitiosum etiam illud genus est, cùm
36. Ab accessiõis dissimilitudine. utrumq; accessionem quidem recipit, sed non simul: ut si amor, cupiditas concumbendi, definiatur: cùm enim is qui uehementius amat non magis concubitum appetat, fit ut nõ recipiat similiter utrumq; accessionẽ, quod quidem deberent, siquidem idem ualerent. Quod idem fiet, si propositis
37. Ab aduerbijs magis & minus. duobus de quo magis finitum dicitur, de eo dicatur minus definitio. Nam finitio & finitum æquè de quauis re sibi subiecta dicũtur, nõ magis unũ, alterum uerò minus. Vitiosum etiam est definiendi genus, eandem ob causam, si duobus propositis finitio, uel finitum utriq; æquè conuenit, alterũ non æquè, sed alteri magis. Par enim in quibusuis cernantur finitio & fi-
38. A quasi geminata finitione. nitum de re subiecta fieri debet attributio. Item cùm duo sunt atq; res quæ definitur accommodari potest, si utrumq; ad definiendum sic acceperit, ut quasi ponat duas definitiones: uitandum est istiusmodi error: consequuntur enim duo disparata, ut si pulchrum definiatur id esse, quod uel oculos, uel aures demulceat: consequetur enim idem & pulchrum esse &
39. A parte finitionis discrepante. non pulchrum, quod est absurdum. Iam uerò si orationes pro nominibus sumamus, & generum, & differentiarum, & eorum omnium, quæ definitio complectatur, an aliquid eorum discrepet uidendum est. Quòd si res quæ definitur in ijs sit, quæ cum altero conferuntur, uel per se uel ratio-
40. A legitima eius quod cũ altero confertur comparatione. ne generis, considerandum erit an in definitione expresum nõ sit, id cum quo uel ipsa per se, uel generis communione cõferatur: ut si quis scientiã opinionem immutabilem definiat, uel uoluntatem cupiditatem dicat ab ægritudine uacuam: nec scientiam refert ad scibile, nec uoluntatem ad appetibile. Est igitur improbanda definitio. Illud etiam uidendum est, an alicuius eorum, quæ cum altero conferuntur, non ad finem directa sit de-
41. A fine. finitio. Finis autem unicuiq; est quod optimum est, aut quò cætera omnia referuntur. In ijs enim, quorum relatio ad proprium finẽ destinatur peccat finiendo, qui non exprimit huiusmodi finem: ut cupiditatem non rei quæ uoluptatem affert, sed ipsius uoluptatis finitione declarandum est:
42. A decẽti explicatione. quippe cùm eius gratia etiã id quod eam efficit, expetamus. Item in quibusdam nisi plana fiat, & ut decet, explicatio, uitiosa erit definitio: ut si

ambitiosum

ambitiosum quis definiat eum esse, qui gloriæ sit appetens: nam quoniam omnes gloria ducũtur, qua ratione, ut aliquis fiat ambitiosus, id eueniat, clarius explicandum fuisset. In definitionibus autem eius generis fit ne-scio quomodo, ut is qui rem definiendo aperit, plura uno definiat, qui enim scientiam definit quodammodo etiam definit ignorationem: itemq; quod doctum & indoctũ est scire & ignorare. Quapropter in ijs si quid discrepet ex ijs locis, quos in contrarijs & coniugatis exposuimus, argumenta ducemus. Atq; in relatis uel descendendo usq; ad indiuiduorũ relationem, ut si res multiplex ad submultiplicem refertur, etiam quædam multiplex ad quandam & certam submultiplicem referetur: si enim non ita explicata res est quadret, profectò refelletur definitio. 43. A coniugatis, & contrarijs, nec non relatis.

Atqui oppositorum oppositæ sunt finitiones, quo fit, ut obseruandum sit an contrarij explicata expositaq; sit definitio contraria: ut sitne subdupli definitio contraria dupli definitioni, alioqui nulla est definitio. In priuantibus uerò habitus per priuationem finiri non potest: idẽ enim finiretur per idem: at uerò priuatio per habitum definitur necessariò. Perspicienda igitur hæc sunt, ut si quid dissentiat, statim refellatur. Iam illud uidendum est, an similibus nominis casibus similes definitionis casus respondeant: ut si id prodest quod efficiens est ualetudinis, utiliter accõmodatè ad ualetudinem efficiendam dicetur; quod utiliter fit ad eandem præstandam, & etiam id quod profuit, ualetudinem effecit. Expectãdum est etiam ex idea, sit'ne uera & propria quæ data est definitio: quandoquidem in quibusdam non reperiri cernitur, quemadmodum Plato definit, adiungens animantium definitionibus, mortale. Si enim idea est, certè non est mortalis. Deseruiet autem locus hic aduersus Platonicos. Vitiosum etiam genus definiendi est, si omnium eorum quæ ambiguè dicantur, communis una definitio statuatur. Quod uitiosum in uitæ definitione reperitur, quam Dionysius tradidit: Est, inquit, motus uniuerso eorum quæ gignuntur generi natura insitus. Est enim uita homonymon ad uitam supernam, id est, immortalem, & ad uitã hãc, qua plantæ, animaliaq; apud nos uiuunt. Obseruandum est igitur hic, an in finiendo aliquis ex homonymo synonymon, uel ex synonymo homonymon faciat. Rursus, si quis quid eorum quæ multis modis dicuntur, definiat: neq; in ea omnia, quæ uerbum ambiguum complectitur, definitio conueniat, est enim reijcienda. 44. Ab oppositi definitione. 45. A casibus. 46. Ab idea. 47. Ab homonymi definitione. 48. Ab eo quod multifariam dicitur seu analogicè.

& ad infirmandum locus accõmodetur. Est autem uarius huius praecepti usus, qui uix in praeceptum redigi potest, sed ut res moneat capiendũ est consilium. Vitiosum etiam est rationem concretionis non exponere, non enim satis est ad aperiendum declarandumq; aliquod totum, id ex ijs, uel illis cõstare dicere: sed hoc uel illo modo ex ijs, uel illis effici. Id quod animaduerti licet in domo, qua igitur ratione constet ex illis explicandũ est, & quò minus id fiat, eò magis reprehensione digna est definitio. Quod si hac reddenda ratione una pars dicatur esse cum altera consulere debemus diuisionem eorum, in quibus unum est cum alio, & quo illorum modorũ dixerit aduersarius hoc esse cum illo, & pro uaria eius explicatione, uario ingenio utendum est cum iudicio atq; delectu. Est autem hoc in illo, ut iustitia est cùm animo, uel cùm in eodem loco utrumq;, uel quia in eodem tempore, & alijs plerisq; modis: quorũ singuli singula consilia postulant. Praetereà si pari ratione alicui conuenire natura solent contraria, & altero rem definiendo aperuerit aliquis, certè non proba erit definitio: sin secus plures eiusdem rei definitiones erunt: ex quo genere est illa animi definitio, natura capax scientiae. Pari etiam ratione definiret, dicens quòd sit ignorationis capax, quò fieret gemina animae definitio. Quod si cui ad totam definitionem euertendam nullum suppetat argumentum, is ad partem aliquam omnem argumentationem dirigere debebit: euersa enim parte, & tota euertetur definitio. Ac de definitionum quidem locis hactenus.

56. A concretionis ratione.

57. A pari ratione cõtrariorũ.

58. A parte finitionis.

De Sophistarum autem reprehensionibus, & de ijs, quae speciem habent reprehensionum: reuera tamen fallaces, ac vitiosae conclusiones sunt, nunc dicendum.

Est autem reprehensio, ratiocinatio, per quam non modo conclusio, sed eius etiam disparatum conficitur.

Sophisticæ simulata est, & non vera sapientia.

Sophista is dicitur, qui ex ea, quam præ se fert, non vera, sed simulata sapientia, quæstum facit.

Disseruimus de locis Dialecticis, quantum ratio breuis institutionis ad Arist. lectionem amplecti potuit. Nouißima pars Logices ab Arist. in Elenchorum codice traditur: Cuius, inquam, subiectum est ἔλεγχος, id est, reprehensio Latinè. Finitur ab Arist. sub forma in textu prædicta: est, inquit, Elenchus ratiocinatio, qua concludimus disparatum tributæ conclusionis. Est autem duplex Elenchus: unus quidem, uerum concludens redarguendo, & refutando contradicentē suæ conclusionis prius concessam. Alter est Sophisticus, cuius finis non solùm est reprehendere, sed circumuenire: qui ut simpliciter non est syllogismus, sed syllogismus Sophisticus, ita nec est omnino Elenchus, sed cum adiecto, id est, Elēchus Sophisticus. Appellaturq; Sophisticus, quia speciem ueri præ se fert, cùm falsò nitatur. Idemq; nominatur fallacia, quia fallax subdola & fraudulenta. Titulus est: Aristotelis de reprehensionibus sophistarum: qui & autoris nomen, & finis qualitatem præ se fert. Est enim autor Arist. ut liquet ex eius dictione, uel ei qui minimum sit in eo uersatus. Finis est non quidem dignotio fallaciarum, ut eis abutamur ad gloriam, alterius incommodo, captādam, uel ad quæstum cum alterius iniuria faciendum. Quid enim esset probo artifice indignius? maximè cùm Dialectica sit parens omnium artium: omnisq; ars, ut autor est Arist. primo. capit. Ethicorum semper ad bonum, tanquam ad finem, destinatur. Sed sanè Scopus noster est has dignoscere fallacias, eò ut uel sophistarū fraudes minimo negotio dissoluamus, uel quia contra Cretensem licet cretizare, ut ualeamus ijs tantisper uti, ad eorum pertinaciam expugnandā. Præcipuus tamen est, quem titulus præ se fert, id est, reprehendere, seu redarguere, seu eos in fraude capere. Vtilitas ab Arist. primo capit. 2. Elenchorū traditur. Est, inquit, utilis ad Philosophiam sophisticarū reprehensionum cognitio, maximè propter duo: primum quidem, ut captiosas sophistarum argumentationes, nos in errorem reducere conātes, dissoluere & pessundare ualeamus: Secundo loco ut huius cognitionis beneficio

De subiecta. Titulus. Autor. Finis. Vtilitas.

ficio in fraude fallacium argumentorum discernenda diu exerciti, tutius in uenanda ueritate progrediamur, et ne latū quidem unguem argumentorum, specie, falsi, à recta rationis norma discedamus. Ordo quem seruat est naturæ, ut ipse monet in limine primi libri, sub his uerbis: In quo, inquit, ego naturam imitatus, ab ijs potißimùm exordiar, quæ sunt huius disputationis prima ueluti elementa. Ordo.

Sunt igitur ad disserēdum quatuor omnino argumentorum genera: Unum est eorum, quæ propriè ad docendum sunt accommodata: Alterum eorum, quæ Dialectica vocantur. Tertio genere cō tinentur ea, quæ ad probandum & examinandum alterum adhibentur. In quarto genere sunt: quæ contentiosa appellantur.

Tria superius Arist. primo cap. 1. Topicorum Præscripsit argumētorum genera: nunc uerò quartum addit, quod quidem sub illis re uera continetur, nunc sub uno, nūc sub altero. Additq; hic propter magnam, quam habet affinitatem cum sophistico syllogismo, & quia sæpius est in usu sophistæ, ad calumniandum & ad applausum popularem conciliandum. Sunt itaq; ad differendum quatuor omnino argumentorum genera. Vnum est demonstratio ad ritè docendum accommodata: Alterum est, Dialectica ratiocinatio, de quibus dictum est satis in superiori tractatione. Tertio genere continentur ea, quæ ad examinandum & tentādum alterum apta dicuntur: quæ ex ijs modò uim habent, quæ ei probantur, quo cum disputamus: cuiusmodi sunt bona parte principia cuiusuis artis & scientiæ, seu facultatis ad deprimendam alterius arrogantiam. Quo genere scribēdi usus est saluator noster in inuidos Scribas & Pharisæos Matt. 26. postquam enim percōtatus esset, cuius esset filius Christus, ac isti respondissent quòd esset filius Dauid, sic molitus est argumentum. Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum dominū? dicens, Dixit dominus domino meo. Si ergo Dauid eum dominum uocat, quomodo filius eius est? Apud illos igitur qui summam sibi legis peritiam uendicabant

bant, argumentum ducit ab ijs quæ in scientia legis maximè cõmunia sunt. In quarto genere sunt, quæ contentiosa nuncupantur. Litigiosa autẽ, sunt argumenta, quæ ex ijs quæ probabilia uidentur, nec sunt, aut concludunt ad speciem, necessariò: sed reuera minimè. Ac de ijs quidem, quæ ad docendum & demonstrandum ualent, dictum est in Analyticis, de Dialecticis autem, & ijs quæ ad examinandum alterum adhibentur, dixit in Topicis Aristoteles: nunc de contentiosis disseramus. Est autem intelligendum initio, quinq; contentiosorum argumentorum scopos esse, sunt autem huiusmodi: Reprehensio, Falsum, Incredibile, Solœcismus, & cogere propugnantem ad nugationem, uel ad ineptam, si mauis, eiusdem uerbi repetitionem. Idq; institutum est Sophistæ, uel ut reuera, uel ut saltem ad speciem assequatur.

Aristo. loca ad reprehendendum fallaces argumentorum astus accommodatißima, sunt in duplici genere.

- Altera cernuntur in uerbis, quæ quidẽ sex nobis industrias Elenchorum subministrant, quæ nimirum argumentũ ducũt.
  - Ab homonymo.
  - Ab amphibologia.
  - A coniunctione.
  - A diuisione.
  - Ab accentu.
  - A forma dictionis.
- Altera in rebus posita sunt, quorum septẽ sunt genera quæ depromuntur.
  - Ex accidente.
  - Ex eo quod simpliciter aliquid dicitur, uel non simpliciter, sed cũ aliqua adiectione, uel partis, uel loci, uel temporis, aut affectionis ad alterum.
  - Ex ignoratione reprehensionis.
  - Ex consequenti.
  - Ex eo quòd sumitur illud ipsum, quod iam inde à principio in quæstione positũ est.
  - Ex eo quod pro causa ponitur, quod minimè est causa.
  - Ex eo quòd quæ multæ sunt interrogationes pro una accipiuntur.

Primus locus

Primus locus nos docet, quo pacto reprehensio ducatur ex nominis multiplici significatione, seu si mauis, ex homonymia, id est, ex ambigua & uaria eiusdem nominis ratione, ut Arist. exemplũ est huiusmodi. Quicunq; illa quæ memoriter ab alio recitantur, accipiunt, μανθάνουσι, id est, addiscunt atqui docti Grammatici, quæ memoriter ab alio recitantur, accipiunt: ergo, docti Grammatici μανθάνουσι, (id est, discunt) Est enim μανθάνειν, homonymũ: interdũ enim idem ualet, quod intelligere rem aliquam, interdum significat idem, quod discere. Similiter falsum ex ueris concludimus ex nominis multiplicitate sub hac forma. Quod quemq; facere oportet, id bonum est: sæpe autem usu uenit, ut nos mala subire oporteat: malum igitur aliquod bonum est. Est enim error reprehẽdendus uitio dictionis, oportet, quæ nimirum ambigua est: si quidem in propositione quod officio consentaneum est, hoc uerbo intelligitur, in assumptione uerò, quod necessarium est. Alter locus nos instruit amphibologiæ adminiculo. Est autem amphibologia seu amphibolia, orationis ambiguitas. Itaq; multiplicitas in simplici uerbo dicitur homonymia, eadem in oratione nuncupatur amphibologia. Hæc igitur nos monet fraudulentam esse istam argumẽtationem: Quoscunq; uellem capere me, uellẽ quòd me caperent: sed hostes, me capere uellẽ: ergo, me uellem ab hostibus capi. Quandoquidem propositio, & assumptio, orationis ambiguitate fallunt: nam, uellem me hostes capere, geminum sensum refert, unum quidem, quòd uellem, ut me caperent hostes, qui falsus est: alterum, quòd uellem quidem, ut ego caperem hostes, qui quidem est uerus. Pariter & hæc reprehenditur contentiosa collectio: Quod quisq; cognoscit, illúd ipsum cognoscit: saxũ quis cognoscit: ergo & saxum ipsum, cognoscit. Siquidem propositio uel ad cognoscentem uel ad rem cognitam referri potest. Item illa: Quod quis uidet, illud ipsum uidet. Columnam autem uidet quispiam columna igitur uidet.

Primus locus.

2.

Item illa: quod esse, dicis, tu illud ipsum, dicis. Saxum autem esse, dicis: tu igitur illúd ipsum scilicet saxum dicis. Postremò illa quoque deprehenditur, eiusdem esse farinæ. Quem de rebus multis uidemus loqui, uerè dicimus proloqui: At σιγῶντα, id est, de multis dicentẽ audimus: ergo euenit, σιγῶντα, hoc est, silẽtem, proloqui. Hoc autem exemplum quadrat Græcè, nõ Latinè: nam uerbum, σιγῶντα, nunc tacentem, nunc de re-

bus multis loquentem ſignificat. Quo fit ut hæc oratio, σιγῶντα, proloqui, ſit ambigua: interdum ſignificans de multis dicentē proloqui, quod uerū interdū eſt, quod falſum tacentē proloqui. Sunt autē tres potiſſimùm modi, quibus omnis homonymia & amphibolia continetur. Vnus eſt, quando aut oratio, aut uocabulum, propriè ac per ſe multa ſignificat. Alter eſt quādo ex uſu loquēdi analogicè transfertur. Tertius cùm uerba coniuncta multis modis accipi poſſunt, ſeparata, ſimplicē habent ſignificationē: Vt in oratione, ſcire literas, euenit, nam etſi utrunq; uocabulum ſit ſignificatione ſimplex: Attamen in horum coniunctione naſcitur ambiguitas: aut enim hæc oratio ſignificat, ipſas literas ſcientiæ capaces eſſe, aut
3. à nobis ipſis percipi. Atque ita fit, ut locus tertius dicatur, à coniunctione, uel diuiſione. Increbuit autem uſus in ſcholis Theologorum, Medicorum, & Philoſophorum, ut appelletur ſenſus componens in enunciationibus modo definitis, uel diuidens, qui ab Ariſt. nominatur cōiuncta uel diuiſa orationis ſententia. Exempli gratia, ſedentem ambulare poſſe, ſententia coniuncta, falſum eſt: diuiſa, uerùm. Exprimitur autem in ſchola ſenſus diuidens hac ratione: ille, inquam, qui ſedet fieri poteſt ut ambulet: ſenſus cōponens declaratur ſub hac forma, fieri inquam poteſt ut hæc enūciatio ſit uera, ſedens ambulat. Et par eſt habendum iudicium in reliquis huiuſmodi. Admonemur igitur hoc loco: ut accuratè, ſenſus hos obſeruemus, ne quid nos prætereat in fallaciarum reprehenſione. Itaque huius loci monitu, iſtas fallaces & ſubdolas eſſe cenſebimus, quemcumque poſſibile eſt ambulare, fieri poteſt quod ambulet: at ſedentem poſſibile eſt ambulare: ergo fieri poteſt quod ſedens ambulet. Siquidē in antecedente agitur de ſenſu diuidente, in concluſione uerò de componente. Præter modorum enunciationes in reliquis pronunciatis propter uariam coniunctionū, id eſt, connexionū unius dictionis cum ijs quæ antecedent uel quæ ſubſequuntur ſimili cauſa loco à coniunctione fallacia deprehenditur in hac: Quicūq; ſcit literas nunc, didiſcit eas: quæ autem ſcit literas quas didiſcit prius, ſcit literas: ergo, qui ſcit literas quas didiſcit prius, nūc didiſcit eas. Percipitur autem fallacia hoc nomine, quòd uerbum, nunc, in antecedente uerbis quæ præcedunt, in conſequente, ijs quæ ſubſequuntur, coniungatur. Nec diſpar eſt ratio in hac, quæ à diuiſione traducit ad coniunctionem argumentū: Qui poteſt unum dolium ferre, poteſt & unum, & unū,

&

& unum ferre: sed qui potest, unum & unum, & unum ferre, plura potest ferre: igitur, qui potest unum dolium ferre, potest plura simul ferre. Vbi notamus copulam, &, cum reliquis dictionibus cōparari coniunctim nūc, nunc seiunctim. Nam in antecedente diuisam sententiam praebet, in consequente coniunctam. Similiter in hac: quaecūq; sunt duo, & tria, sunt paria & imparia: sed quinq; sunt duo & tria: ergo quinq; sunt paria, & imparia. Vbi coniūctio, &, in consequente sumitur diuisim, & in antecedente cōiunctim. Simile uitium deprehenditur in ista. Maius dicitur, quod tantum est, quantum alterum, & aliquid amplius: ergo quod maius est tantum erit quantū alterum: quod igitur maius est, est aequale. Nam illa particula, & aliquid amplius, in antecedente coniungebatur cum alijs orationis uerbis, in consequente uerò, de industria diuiditur. Accentus fallaciae deprehenditur ex accentu, uel aspiratione, uel modo pronunciandi, 4.
nunc asserendo, nunc percontando: seu ex uariata punctorum uel intercisionū orationis ratione. Referuntur enim & haec ad accentum. Ex accentus quidem mutatione reprehensio ducitur hic: Omne málum est fugiendum, sed omne pomum est màlum: ergo pomum est fugiendum. Nam in propositione prima syllaba dictionis, málum, breuis est, quo accētu idē sonat quod, prauum: at in assumptione idem sonat atq; pomū accentu accuto. Colligitur autem horum accentuum distinctio ex duobus Virgilij carminibus,

Aurea màla decem mißi, cras altera mittam.
Fama málum, quo non aliud uelocius ullum.

Variatur igitur hic eiusdem syllabae quantitas ratione aspirationis sic fit paralogismus: Omnis ara studiose reconditur in templo: sed porcorum stabulum est hara: ergo porcorum stabulum studiose est reconditum in templo. Item, Quandocūq; abeo, ab aliquo loco recedo: atqui cùm aliquid poßideo, habeo: ergo cùm aliquid poßideo, ex aliquo loco recedo. In uaria orationis partium distinctione reprehensionem ducimus sub hac uerborū serie: Si quid Deus fecit inuitè, id fecit coactè: at uerò Deus uinū fecit in uite: Deus igitur uinum fecit coactè. Similiter: Omnis terra, quae est in uia pedibus conteritur: sed ea quae subsidet in stagno est in uia: ergo terra quae subsidet in stagno pedibus conteritur. Item, Quisquis dicit, me tuo longas pereunte noctes Lydia dormis, dicit se timere: sed amator ni-

hil metuens hoc inquit:ergo amator minimè metuens dicit se timere. Deprehenditur enim fallacia in syllabis me-tuo,si enim ex his una coalescat dictio,idem significat atq; metuo:si uerò duæ longè secus est,ut in uersu liquet. Eodem etiam pertinet uarius pronunciandi modus,nunc serius, nūc hironicus:uel interdum asserens,interdum interrogans. Primi exemplum est huiusmodi:Qui dicit aliquid egregium esse,illud commendat:sed irridens Virgilius inquit, Egregiam uerò laudem & spolia ampla refertis: quod irridet.igitur Virgilius commendat. Exemplum alterius: Qui dixit Christo:Tu es Christus filius Dei uiui,de orthodoxa fide fuit benemeritus:at Caiphas in Iudæorum aduersus Christum conspiratione dixit, Tu es Christus filius Dei uiui? Ergo tum fuit Caiphas de orthodoxa fide benemeritus. Et hæc quantum ad accentus fallaciam attinet. Quæ à di-
5. ctionis forma seu figura ducitur fallacia, quadruplex est. Ducitur autem omnis ex eo quod alterius uerbi specie falsi in ijs eandem esse rationem interpretemur, in quibus non est eadem: ut si Grammaticus ita connecteret,dolus & olus eodem modo terminantur: atqui dolus est generis masculini & secundæ declinationis, ergo & olus. Item Dialecticus malè connecteret simili uitio sic paralogizando:Perinde dicitur aliquid corporeum à corpore,ut candidum à candore: sed candor ob id est qualitas:ergo & corpus. Pariter inepta esset argumentatio: Facere,docere,calfacere,cum terminentur syllaba,re,significant actionem:ergo dolere actionem significabit. Item deprehenderetur propter similem speciem dictionis fallacia in hac argumentatione:Omne animal est substantia,& nullum animal est substantia,sunt contrariæ, igitur & hæ: Omne animal fuit in arca Noe, & omne animal non fuit in arca Noe: nam si cōuenisset inter nos,quòd signum,omne, usurpetur pro generibus singulorum(ut in sacro eloquio percipimus) consequerentur duæ contrariæ simul ueræ. Diximus hactenus de fallacijs dictionis, nunc reliquum est, ut ad eas quæ cernuntur in rebus gradum faciamus.

Reperiuntur autē hæ in oratione,& proinde deprehenduntur in uerbis: sed nō ratione uerborum affectionis, quin potius ipsius rei causa discernuntur. Quo nomine discriminantur à præcedentibus. Fallaces igitur conclusiones,quæ in rebus continentur,septem genera sibi uendicant.
1. Primū quidem est,ex accidente. Itaq; Arist. fallaces quidem ex accidēte conclusiones appellat, quando rei subiectæ eadem omnia attribuūtur:

Cuiusmodi

Cuiusmodi est, Michalus musicus cras corrumpetur, atqui Michalus est Michalus musicus, ergo Michalus cras corrumpetur. Conuenit enim Michalo musico accidentis ratione, corrumpi, non autem ratione subiecti. Quo fit ut uitium huius fallaciæ in hoc cernatur, quòd corrumpi ab accidente transferatur ad substantiam. Est autem genuina hæc accidentis fallaciæ declaratio, sed in scholis increbuit usus, ut eiusdem fallaciæ nomine reliquas omnes quæ delinquunt uitio formæ complectamur. Neque enim illæ commodè referri possunt nisi ad accidentis captionem: Cuius farinæ sunt, quæ sequuntur. Vbi delinquimus maioris extremi uitio: ut Omne animal substantia non est: sed omnis homo est animal. ergo nullus homo est substantia. Est autem uitium quia maius extremum in propositione definitè, uniuersè uerò in conclusione usurpatur. Deinde delinquimus causa minoris extremi: ut nullum dextrum est sinistrum: & cuiuslibet hominis oculus est sinister: ergo nullus hominis oculus est dexter. Quia minus extremum in Cæsare non subijcitur uniuersè, sed infinitè: seu si mauis quod in antecedente infinitè, in consequente uerò uniuersè deprehendatur. Delinquimus in medij cum extremis comparatione: ut, cuiuslibet contradictionis altera pars est uera: at homo est asinus, est contradictionis altera pars: ergo hæc enunciatio, homo inquam est asinus, est uera. Quandoquidem medium in prima figura debet subijci uniuersè, quod hic desideratur. Eodē referuntur conclusiones peccantes quantitate uel qualitate: ut si ducatur argumentum ex gemina negante, uel ex utraq; in parte, uel in secunda figura seu prima colligamus directè ducentes argumentum à propositione, quæ sit in parte, & cætera istiusmodi uitia. Eiusdem etiam sunt ordinis in quibus mutatur institutio: ut animal est genus: homo est animal, ergo homo est genus. Siquidem animal in propositione est secunda institutio, in assumptione uerò prima.

Eòdem spectat, hic homo est bonus & est musicus, ergo est bonus musicus. Etiā & hæc dicitur accidentis fallacia, quod ego sum tu non es: atqui ego sum animal: ergo tu non es animal. Omnes igitur huiusmodi ad fallaciam accidentis in scholis referuntur, etiam etsi Arist. multo peculiarius, strictius & proprius hac nomēclatura usus fuerit. Fallaciæ in rebus positæ alterū genus est argumentatio, quæ quidem, ex eò quòd simpliciter aliquid dicitur uel ex adiectione dicto, ducit argumentū: ut est homo pi- 2

ctus, seu est homo mortuus: ergo est homo: uel ex aduerso, est homo: ergo est homo mortuus. Liquet enim utriusq; fallacia, una uerò proficiscitur à
3. simpliciter dicto, altera ab eo quod cũ adiectione dictũ est. Tertia est, ex ignoratione reprehensionis captio dicta. Est autẽ cùm subdolè compellimur ad asserenda duo contradicentia simul: ut si aliquis facesseret nobis negotium hoc nomine. 4. dixisti duplũ ad. 2. eundẽ dicis non duplũ esse ad 3. igitur. 4. duplus est, atq; non duplus: uel Christus quantum ad diuinitatẽ attinet non est filius Mariæ: sed Christus quantũ ad humanitatem attinet est filius Mariæ. igitur Christus Mariæ filius & est, & nõ est. Quarta fal-
4. laca ducitur à consequẽte, quæ facilis est captu, scilicet cùm perinde atq; ex antecedente concluditur cõsequens, ita uice uersa colligimus ex consequente antecedẽs, idq; aiendo: ut cùm pluuiæ consequens sit, madefieri terram, falleretur ex aduersum qui sic inniteretur: madida terra est: ergo pluisse cõsequitur. Hoc enim minimè necesse est. Quo genere fallaciæ deliquit Melyssus, ut Arist. docet. 2. & . 3. cap. 1. Physicorum. Quintum ge-
5. nus est quod cernitur in petitione principij, uel quia idem per idem ostenditur, uel quod notum est per obscurius, uel quia æquè obscurũ per æquè obscurum. Exempla paßim sunt obuia. Reprehenditur autem hæc nam etsi sæpius uerum, ex ueris atq; id necessaria conclusione concludat, attamen æquè densa, uel densiori caligine tenebras offundit. Sextũ ex eo quod
6. pro causa ponitur, quod minimè causa est, Deprehenditur autem hæc fallacia in syllogismis ducentibus ad incõmodum, in quibus ex falsitate consequentis colligimus aliquid in antecedente falsum esse, hoc nomine, quòd causa sit, ob quam consequens sit falsum. Exemplum. si probare uelis quod idem non sint uita & anima, & hac tu ratione utaris: si aduersatur omnino ortus interitui, & cuidam interitui aduersabitur quidam ortus: est autem mors (quæ uitæ est contraria) interitus quidam: erit igitur uita ortus quidam, & uiuere gigni, ac oriri: quod fieri omnino nõ potest: quare uerum illud non fuit, uitam & animam idem esse. Hac tu profectò ratione non fecisti quod uolebas: nam etiam etsi nemo dicat inter animam & uitam nihil interesse, nihilominus idem illud incõmodum sequitur. Septimũ
7. ex eo ducitur, quòd quæ multæ sunt interrogationes pro una accipiũtur: ut si cõmonstratis duobus hominibus, quorum alter uidet, alter cæcus est, sciscitetur quispiã, an sint uidentes? an potius nõ sint uidentes? tuq; simplici responsione satisfacias, dicens, esse quidẽ non uidentes: inuolet ille, igitur

tur neq; hic, neq; ille uidēs est, cauillandi ansam præbuisti citra distinctionem simplici responsione. Est autē fallacia dicta multarū interrogationū pro una quidē acceptarū. Atq; hæc de omnibus fallaciarū generibus satis dicta fuerint.

His igitur Logicæ iuuentutis institutioni (quam Deus optimè uertat) finem imponemus: reliquum est, ut qui ex ijs non parum acceperit emolumenti, precibus à Deo impetrare conetur, ut multò præstantiora quotidie præstare ualeamus: primum quidem ad cultum Dei, postremùm ad iuuentutis utilitatem conferenda.

FINIS.

Errata.

Scribit, inscribit. fol. 1. p. 2. l. 1. Seu, delendum. fol. 2. p. 1. l. 17. Cognitam, Concoctā. fol. 2. p. 1. l. penul. Eam firmare quin simul eam doceat, eā tamen firmare quin simul doceat. fo. 3. p. 1. l. 15. Ad Categorias Arist. ad suas Categorias. fo 3. p. 1. l. antepenult. Logicū docendi, logicū indocendi. fo. 3. p. 1. l. ult. Syllogismū diuisiuū; diuidentem fol. 3. pa. 2. lin. 12. Quoduis horum trium adde, institutum. fo. 4. p. 1. l. 10. Inuictos, inuites. fol. 4. p. 2. l. 28. In proprias, propria fo. 6. p. 1. l. 11. Nimine, nomine fo. 6. p. 1. l. 13. Frequens est in usu, frequens est usus fo. 6. p. 1. l. 28. Exponatur. Consultius, exponatur, Consultius. fo. 6. p. 2. l. 34. Ut reciprocum, ut, redundat. fo. 7. p. 1. l. 1. In scholijs, Scholis fo. 7. p. 1. l. 23. Obtemperatas, accommodatas. fo. 7. p. 1. l. penult. Ethicam eiusdem, Ethicam: eiusdem. fo. 7. p 2. l. 20. Scholys, Scholis fo. 8. p. 1. l. 3. Consideratio: generis & speciei ad, Consideratio generis, & speciei, ad. fo. 8. p. 2. l. 3. Scholijs, Scholis. fo. 8. pag. 2. l. 27. Vel esset genus, vel esse genus. fo. 14. pag. 1. l. 15. Methaphoricè, methaphorice. fo. 14. pag. 1 lin. ult. Pertinentiam, pertinentia. fo. 18. pa. 2. l 6. At forma, à forma. fol. 19. pag. 1. lin. 7. Similem vel dissimilem, simile vel dissimile. fo. 19 pa. 1. lin. 27. Categoricarum, categoriarum. fo. 23. pag. 2. l. 18. Dignationem, dignotionem fo. 25. p. 2. l. 20. Aequalis in loco, æqualis. In loco. fol. 26. p. 2. l. 5. Atqualiter accidentibus, atque aliter accidentibus. fol. 27. pag. 2. lin. 14. Si manis, si mauis. fo. 28 pag. 2. lin. 14. Quod sit nomen, quod sit non homo. fol. 45. pa. 2. l. 11. Cognomine communia, cuncta tamen verbo est, cum nomine cōmunia, iuncta tamen verbo est. fol. 45. pag. 2. lin. 20 Contradicentes neque possunt esse simul falsa, adde, neque simul vera. fol. 50. pa. 1. l. 2. In contrarijs, in subcontrarijs. fol. 50. pa. 1. li. 5. Et utraque, utrauis. fol. 50. pag 1. lin. 23. Non est iustus infiniti, non est iustus infinitè. fo. 52. pag. 2. l. 1. Separatum dictum, separatim dictum. fo. 53. pa. 1. l. 28. Et oppositarum, deleatur. fo. 53. pa 2. l. 27. Impossibile non, possibile non. fo. 54 pa. 1 l. 1. In victus, iniustus. fo. 55. pa. 1. l. 1. Ratione aduersa extremorum, aduersorum extremorum. fo. 55. pa. 1. lin. 7. Utatur medio, utar medio. fol. 66. pag. 1. lin. 31. Ingerere scientiam, adde, effectus remoti. fo. 73. p. 2. l 28. Quæ iniustè fiunt, iustè fiunt. fo. 93. pag. 2. lin. 12.

